



Specimen historico-literarium inaugurale de Nicia, demagogo et belli duce

<https://hdl.handle.net/1874/300743>

SPECIMEN HISTORICO-LITERARIUM INAUGURALE

DE

NICIA,

DEMAGOGO ET BELLI DUCE.

INSTITUTIONES
MATHESAURICAE
MATHESAURICAE

REGIUM HISTORICO-LIBRARIUM REGIUM

NICOLA
DE MODO ET PELL. DUC.

INSTITUTIONES
MATHESAURICAE

2.

SPECIMEN HISTORICO-LITERARIUM INAUGURALE

DE

N I C I A,

DEMAGOGO ET BELLI DUCE,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCIORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P E T R I H A R T I N G,

MED. ET ART. OBST. DOCT. ET MATH. ET PHIL. NAT. PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

G U I L I E L M U S J U L I U S,

Rheno-Trajectinus.

A. D. XXII M. MAJI, ANNI MDCCCLVIII, HORA I.



TRAJECTI AD RIENUM,

TYPIS MANDARUNT GIEBEN & DUMONT.

MDCCCLVIII.

SPICME HISTORICO-LITTERARIUM ANAGORAE

N I C I A

DE MAGISTRO ET BELLI DUCI

ANNO 1710

ET ANNO 1711

P E T R I H A R T M A N N I

ANNO 1711

IN ACADEMIA PRAEPOSITA PRAEFATA
ET LITERARUM HUMANIORUM DOCTRINA

WILHELMUS JULIUS

IN ACADEMIA PRAEPOSITA PRAEFATA
ET LITERARUM HUMANIORUM DOCTRINA

IN ACADEMIA PRAEPOSITA PRAEFATA

ET LITERARUM HUMANIORUM DOCTRINA

IN ACADEMIA PRAEPOSITA PRAEFATA

WILHELMUS JULIUS

ANNO 1711

ET ANNO 1712

ANNO 1711

ET ANNO 1712

ANNO 1711

PRÆFATIO.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

PRINTED

OF THE

NEW

PRAEFATIO.

Pervenit tandem, quo dudum tendebam. Variarum enim occupationum partim domesticarum partim externarum, quibus aliquamdiu districtus fui, me non semel ab incepto opere avocarunt et impediverunt, quominus tam cito quam vellem optatam metam attingerem. Jam exactum libellum tibi offero, lector benevole, in quo si non multa inveneris nova aut indicta prius, at satis habebis, si in discrepantibus scriptorum testimoniis et criticorum iudiciis verum vidisse aut certe a recta via non nimis longe aberrasse videar. Tu studiorum meorum primitias ut aequo accipias animo etiam atque etiam rogo.

Equidem Wytttenbachii praecepti memor per supremum hoc spatium Academicum in Thucydide legendo maximam posui industriae partem; quo factum est ut hunc rerum scriptorem mox in deliciis habere coeperim: hujus quo melius dictionem intelligerem, virtutes rectius aestimarem, altitudinem mentis plenius perspicerem, eo plus in literis me profecisse et mihi met ipsi profuisse statuebam. Quum igitur in eo essem, ut speciminis conscribendi argumentum quaererem, primum cogitavi de concionibus quas historiis suis Thucydides inseruit interpretandis, in quibus plurima inesse quae pleniorum explicationem adhuc expectant,

neminem fugit. Quod tamen consilium, ubi rem propius consideravi, deposui et validioribus humeris studiisque maturioribus relinquendum pulavi. Interim incidi in elegantissimum *Hertzbergii* librum, qui inscribitur *Alkibiades der Staatsmann und Feldherr*, *Halis*, 1853. In quo libro legendo cum dilucida rerum expositione delectabar, tum scriptoris doctrinam, sagacitatem, iudicium magnopere admirabar. Quid multa? Operae pretium me facturum credebam, si ad illius operis exemplum de *Nicia*, *Alcibiadis* aequati minus illustri, pro minore mea doctrinae copia, sicut possem, exponerem. Ita cum perpetua *Thucydidis* lectione seniorum historicorum, *Diodori*, *Plutarchi*, *Justini* lectio erat copulanda, atque his inter se comparatis et, ubi necesse esset, illustratis, rationem etiam habendam duavi testimoniorum quae de *Nicia* suppediarent tum poëtae comici tum philosophi. In quibus dijudicandis quatenus verum viderim, quatenus fortasse in errorem sim inductus, de his penes doctiores sit iudicium.

Ceterum qui de *Nicia* singulatim scripserint, non alios novi nisi *C. Fr. Hermannum* in libello de persona *Niciae* apud *Aristophanem*, *Marburgi*, 1835, et *A. Westermannum* in *Pauly Real-Encyclopaedie der classischen Alterthumswissenschaft*, 1848, Tom. V, p. 621—625. Quorum tamen hic praecipua illius vitae tempora indicavit potius quam pertractavit; de *Hermanni* autem opusculo suo loco sermo erit, quum is argumenti mei partem tantum attingat. Et recentioribus scriptoribus, qui historiam Graecam enarrarunt, in primis data opera consului *Georgii Grotei* *History of Greece*, voll. VI et VII. Ubicumque ab hujus ceterorumve iudicio recedendum putarem, sen-

tentiae meae rationes addidi. Quo factum est ut, quum antea mihi proposuissem, ut fontes et subsidia literaria quibus usus essem separatim in examen vocarem, id jam veluti supervacaneum praetermiserim: de antiquorum enim historicorum auctoritate satis inter eruditos constat, recentiorum vero sententias quoties adhibui, toties earum momenta examinavi. Haec de argumento; nunc de me pauca dicere liceat.

Ego vero huic Musarum sedi simul et paternae domui jamjam valdicturus, si vehementer me commoveri dissimularem, mihi ipse vim facerem. Quodsi mecum recolo tempus in hac Academia peractum, non possum non grato animo recordari cum multas alias opportunitates, quas mihi et patria domus et amicorum consuetudo praebuit, tum quod uti mihi contigit talibus praeceptoribus et studiorum ducibus, quibus post parentes plurimum me debere sincera mente agnosco.

Horum in numero Tu primus mihi ante oculos obversaris, Clarissime Karsten, quo Promotore glorior. Plurima Tu in me, civem Academicum, contulisti beneficia, quibus in cumulum accesserunt utilissima consilia, quibus mihi in hac dissertatione conscribenda adfuvisti. Nescio quid magis Tibi me obstrictum teneat, liberalitas Tua, qua ad uberrimam doctrinae suppellectilem aditum mihi praebuisti, an humanitas qua auxilium rogantem numquam non exceperisti, an vero benevolentia qua privatis quoque lectionibus ardorem meum constanter aluisti. Nil dico nisi hoc: gratias Tibi ago sinceras. Tibi me studiaque mea etiam in posterum commendo.

Nec minus Tui, Aestumatissime Opzoomer, Tuorum-

que in me meritorum memoria pectori meo infixæ semper hærebit. Quæ philosophiæ præcepta et placita ex Tuo ore per quadriennium percepi, ea alta mente recondidi, nec dubito quin ea iis, aucta mea doctrina, maturiores etiam fructus in studia mea sint redundaturi. Diu Te incolu- mem servet D. O. M. multisque posthac de omnium disciplinarum vinculo disserentem Te audire contingat!

Quam vellem hoc loco Goudoeverum quoque nostrum compellare mihi liceret, cujus præcepta sapientiæ plena, cujus patrium in discipulos animum numquam obliviscar! Huic tamen in beatorum sedibus locum jam concessit Deus. Cujus provinciam qui suscepisti, Clarissime Ro- vers, doleo quod mihi non contigit Tuas scholas fre- quentare, quibus historiæ et antiquitatis amore flagranti audientium animos imbuere Te accepi. At vero gaudeo in Tuam me receptum amicitiam, qua spero fore ut bonarum ar- tumcultu, dum spiritus hos reget artus, dignum me ostendam.

Vobis autem, Gymnasii Rheno-Trajectini præceptores, qui ad literarum studia rite et suscipienda et persequenda viam mihi monstrastis, etsi gratum animum jam pridem sig- nificavi, nunc tamen iterum testificor, continuatum mihi fa- vorem et vero amicitiam Vestram sæpius expertus. Vestra institutione florere utinam diu pergat hujus urbis Gymnasium!

Postremo cunctis, quibuscum in hujus Academiae spatiis versatus sum, vobis præsertim amicis, quos paucos habui, sed carissimos, omnia fausta precor. Etiamsi fata nos alium alio disjungent, dulcissima vitæ Academicæ re- cordatio et communium studiorum amor vel absentium animos semper conjunctos tenebunt.

CONSPECTUS.

	Pag.
PROOEMIUM.....	1.
CAPUT I. Nicias Cleonis in republica gerenda adversarius.	5.
§ 1. De Nicias genere et indole..... p.	5.
§ 2. Niciae reipubl. administrandae ratio.....	» 23.
§ 3. De Nicias rebus gestis ante Cleonis mortem.	» 38.
CAPUT II. Niciae flos. Alcibiades ei adversatur.....	57.
§ 1. Pax Niciae..... p.	57.
§ 2. Alcibiadis machinationes ad bellum instaurandum.....	» 71.
§ 3. Deliberationes de expeditione in Siciliam paranda. Nicias oratio. Ingens classis exornatur.	» 87.
CAPUT III. Niciae res in Sicilia gestae.....	107.
§ 1. Res gestae ante Gylippi adventum..... p.	107.
§ 2. Nova subsidia Atheniensium cladem prohibere nequeunt.....	» 122.
§ 3. Niciae tristis vitae exitus.....	» 138.

*— Nicias appears to have enjoyed, on the whole, a greater and more constant personal esteem than any citizen of Athens, from the present time (427 b. C.) down to his death."

G. Grote, History of Greece, VI, pag. 390.

PROOEMIUM.

Atheniensium rempublicam ut ad potentiae ac gloriae fastigium extulerat Pericles, ita qui hunc deinceps secuti sunt viri πολιτικοὶ civitatis vires labefactarunt. Nimirum ille, vera patriae commoda perspecta habens, augendas curaverat opes navales, quibus insulas maris Aegaei ceterasque colonias vel ab hostium vi defenderet vel desciscentes ad officium redigeret; ceterum urbis ditionem extendi noluerat, praesentem rerum statum tuendo unice intentus. Hi contra multitudinis libidini potius quam saluti civitatis inservientes, imperii amplificandi studio magis magisque indulserunt. Quorsum autem id evasurum esset, dubitari vix poterat. Athenienses enim cum in Aetolia et Boeotia ingentes acceperunt clades, tum in Thracia ad vindicandas colonias parum valuerunt, postea autem in Sicilia ipsam salutem reipublicae periclitati adeo fracti sunt, ut vires suas

numquam plane reparare potuerint. Pericli ante omnia cordi fuerant patriae salus et gloria, ideoque artium disciplinarumque cultum promovere semper studuerat: quo factum est, ut ipso vivente Athenae vere dici possent *Ἑλλάδος παιδεύσις*. At sequentes demagogi suam gloriam suamque magnitudinem praecipue sectati sunt; ut vero populus erudiretur et ingenia excolerentur, id parum curarunt. Pericles autem etsi tam plebis potestatem quam singulorum civium libertatem magnopere auxerat, tamen propter ingenii animique altitudinem unus totam continuabat civitatem. Sed libertas illa post ejus mortem sensim paullatimque in effrenatam degeneravit licentiam. Improbi enim oratores largitionibus, calumniis, aliis malis artibus plebem depravarunt et de sua tantum potentia inter se contententes reipublicae prosperitatem nihili pependunt.

Jam vero historia, quae magistra vitae jure praedicatur, nusquam clarioribus exemplis probat, et quantum unius hominis excellens virtus patriae possit prodesse, et contra prava principum studia ruinam publicam necessario maturare. Quamobrem, ne alia memorem, aetas, de qua loquor, dignissima est, quae ab omni parte bene cognoscatur. Ad cognitionem illam plurimum conducere accuratam principum virorum vitae, morum, rerum gestarum notitiam nemo infitias ibit, si reputet, fata populorum magna pro parte pendere ab iis, qui illustrem in civitate locum tenent. Quemadmodum autem per triginta ante bellum Peloponnesiacum annos et ipsius belli initio

Pericles auctoritate, ingenio, fide in republica plurimum valuit, ita, sequenti belli tempore, Alcibiadis summa fuit auctoritas. Juxta hunc autem plures inferioris ordinis fuerunt belli duces et oratores, quorum partes negligere ac pro nihilo putare minime decet historicum belli vicissitudines diligenter considerantem. Ex hisce igitur unum delegi, de cujus vita rebusque fusius agerem. Nicias persona parum illustrata nobis videbatur, et tamen digna quae diligentius cognosceretur.

Hic enim quae Pericles in externis Atheniensium civitatis rebus secutus fuerat consilia probans et defendens, quasi transitum nobis ostendit a vetere disciplina ad sequentium temporum licentiam, ejusque acta certamen inter senescentem aristocratiam et exsultantem plebis audaciam nobis velut repraesentant. Fortuna porro, quid efficere posset, in hoc videtur experta. In omnibus enim quae ante expeditionem Siciliensem egit, apparebit nihil illo fuisse felicius; idem vero postquam imperio in Sicilia ornatus fuit, quamvis fortissime se opposuit calamitatibus, ad ultimam decidit miseriam. Quodsi quis inter claros Romanorum imperatores Q. Fabium Max. Cunctatorem cognitu dignissimum censet, inter Atheniensium duces haud minus memorabilis nobis Nicias esse videtur. Illum aequales appellarunt cognomine, quod aequae in hunc, etsi minore cum laude, conferri potest. Fabium nobilitati illi Ennii versus ita celebrant:

„Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Non enim rumores ponebat ante salutem.

Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.”

De Nicia Athenienses post cladem Siciliensem canere potuissent:

Unus homo nobis cunctando destituit spem.

Hic enim terrores ponebat ante salutem.

Ergo postque magisque viri nunc gloria marcet.

Neque minime argumentum hoc commendatur eo, quod fere omnia, quae ad rem pertineant, c praestantissimis antiquitatis monumentis eruenda sunt. Quae quamquam toties jam pertractata et elaborata, tamen cum elegantia sua et salubritate semper legentes ad se trahant, tum diligenti rerum hominumque aestimatori novam usque suppeditant quaerendi materiam. Ostendit hoc nuper G. Grotius, Britannus, qui in opere, cui titulus *History of Greece*, in multis aliter judicat atque antehac factum erat. Ipsum Thueydidem non ubivis ira et studio vacare demonstrat; Aristophanis autem comoedias, fidei et veritatis ratione habita, cum libellis famosis comparat, quales his temporibus ad virorum politicorum infamiam divulgantur.

In ea igitur opinionum discrepantia non supervacaneum duxi, si, quid de Nicia demagogo et belli duce ejusque actis et consiliis statuendum sit, diligentius inquirerem.

CAPUT I.

NICIAS CLEONIS IN REPUBLICA GERENDA ADVERSARIUS.

§ 1.

De Niciae genere et indole.

Nomen Niciae multis et Atheniensibus et aliis Graecis commune fuit (Thucyd. II, 58; IV, 102; II, 85; Isocrates c. *Euthyn.* passim. Cf. Westius in Pauly, *Real-encycl.* s. v.); derivatum esse a vocabulo *νίκη*, monet Plutarchus in vita *Niciae* c. 1, ubi ridicula Timaei carpitur opinio putantis scilicet, ducem qui a victoria nomen haberet, quum expeditionem Siciliensem dissuaderet, Atheniensibus omni fuisse. Ubi autem Niciae mentio fit, utrum de hoc an de alio sermo sit, jam nequit dubitari, postquam pagum, cui nostri familia fuit adscripta, compertum habemus. Etenim Atticae pago *Κυδαντιδῶν*, quae pars erat tribus Aegeidos, haec gens adnumerabatur, quod ex tabulis ante aliquot annos Athenis effossis demonstratum ivit Böckhius, *Urk. üb. d. Seewesen. d. Ath. st.*, pag. 246. Cf. ejus-

dem, *Staatshaush. d. Athener*, I, 628 sq.; II, 40 (ed. sec.) 1).

Quamquam de Niciae majoribus singulatim nihil memoriae proditum est, universe tamen constat, ejus genus, unum e clarissimis et ditissimis, diu Athenis fuisse et muneribus publicis fungendo populi commodis inserviisse (*Lysias c. Poliarch.* § 6 et 7 Bekk. Cf. K. F. Scheibe, *die oligarch. Umwälzung. zu Athen*, pag. 84).

Ipsa patrem habuit Niceratum (*Thuc.* III, 51, 91; IV, 27 et passim; *Aristot.* ap. *Plutarch. Vit. Niciae*, 2; *Diod. Sic.* XII, 65, 83; *Plato, Gorg.* p. 472, a; *Suidas*, voce. *Κλεών* et *μελλονιζιῶν*). Matris vero nomen, sicuti e diserto *Plutarchi* in *vita Alcib.* c. 1 testimonio patet, jam antiquitus ignotum fuit, quare Niciam materno genere ignobilem Athenis fuisse probabile est. Natum eum esse intra annos 475 et 470 a. Chr., quamquam hac de re diserta mentio apud antiquos scriptores non exstat, tamen cum aliunde 2)

1) Pagus *Κυδαρτιδῶν* praeterquam in inscriptionibus memoratur etiam a *Demosth.* (59), 24 et 123. Vidd. K. F. Hermann, *Griech. Staatsalterth.* § 111 et pag. 448 (ed. tert.); *Leake, Demen v. Attika*, übers. v. Westermann, pag. 229.

2) Alia aetatis indicia, quae partim sententiae nostrae non repugnant, partim eam confirmare videntur, nobis suppeditant *Plutarchus Nic.* 15 et 2, ubi *Nicias* *Sophocle* poeta anno 495 a. Chr. nato atque *Thucydide*, *Melesiae* filio, minor fuisse dicitur, et *Plato* in *Lach.* p. 197 d, quo loco tamquam *Damonis* aequalis occurrit. Quibus testimoniis adjunge, quod *Pericles* vivo *Nicias* bellidux saepe fuisse perhibetur, *Plut. Nic.* 2, et quod tempore pacis a. 421 a. Chr. ἤδη καὶ ἤλικιαν προήμων fuit, teste eodem in *Vita Alc.* 13.

Quod vero attinet ad *Eupolidis Dem.* fragm. IV, ubi *Nicias* colloquitur cum *Aristide*, poetam demagogos quosdam finxisse ab inferis excitatos patet ex ejusdem fabulae fragm. XIII.

colligatur tum maxime ex eo, quod, teste Platone *Lach.* p. 181 d, Nicias major natu fuit Socrate ideoque ante Ol. 77. 4, i. e. a. 469 a. Chr., lucem adspexit, neque cum, aetate sexagenarium, cum imperio in Siciliam missum fuisse veri simile est. Etenim in litteris, quas calamitatibus pressus ex Sicilia Athenas misit ad militiae vacationem rogandam, valetudinis causam, non vero aetatem sexagenariam praetexuit, quam tamen legitimam praebuisse militiae vacationem docet K. F. Hermann, *Griech. Staatsalt.* § 152. (Cf. *Thuc.* VII, 15; *Plut. Nic.* 19) 1).

Plures habuit fratres, quorum solus Eucrates tamquam popularis potestatis fautor nobis aliquatenus innotuit; quaenam vero inter illos fratres intercesserit morum similitudo studiorumque conjunctio, non facile aliquis statuatur. A Platone quidem *Gorg.* p. 472 a. omnes hi referuntur in justitiae, quae quidem utilitati conduceret, laudatoribus, Eucrates tamen patriae comoda suae saluti et potestati anteponebat paucorum dominationem participare noluit 2).

1) Phocioni sane, seni octogenario, belli imperium mandatum fuisse legimus; sed hoc propter repentinum tumultum factum est. Vidd. *Plut. in vita c.* 24 et *Nepos, Phoc. c.* 2.

2) Eucratem illam fratre nata minorem fuisse nemo non videt. Scilicet bene constituta Niciae aetate, septuagesimum annum exsuperanti haud credas imperii consortium ab oligarchicis a. 404 a. Chr. oblatum fuisse. Nominatur inter eos, quos auctores τῆς τῶν Ἐργῶν περιουσιῆς Diocles a. 415 falso denunciavit, *Andoc. de Myster.* § 47, quique paulo post contrariis Andocidis confessionibus a vinculis liberati sunt. — Post fratris mortem Atheniensium praetor creatus est atque ab iis qui multitudini insidiabantur ad societatem provocatus, quo esset animo erga populum, recusando aperuit. Athenis initio anni 404 a. Chr. Lysandro traditis ante XXX viros constitutos ab Oligarchicis morte

De Niciae posteris parum constat; per L tamen post ejus obitum annos illorum seriem conficere nobis licet, quamquam plerumque sola nomina ad nos pervenerunt (Vidd. Pauly, *Real-encycl.* s. vv. *Nicias* et *Niceratus*; Böekh., *Urkunden etc.*, p. 246). Niceratum, Niciae filium, quem novimus, unicum, infra i. c. pag. 21 paucis attingemus. Hactenus de ejus familia.

De Nicia puero et adolescente nihil ad nostram notitiam pervenit, siquidem antiquorum nemo eum memorat, antequam ad virilem pervenerat aetatem et in luce reipublicae versatus domi militiacque inclaruerat. Neque id mirandum, quum Nicias post Periclis mortem demum temporibus cedens partes illas, quas illustrare conabimur, in republica susceperit, quamvis natura ei summas illas ingenii artes, quae in Alcibiade aliisque jam inde a pueris apparebant, negasset.

Quum tamen parentibus opulentis ortus ea aetate adoleverit, qua Athenae, omnium artium doctrinarumque theatrum, sapientiae magistris abundabant, atque optimatum filii in sophistarum scholis crudiri solebant, hunc quoque adolescentem liberali institutione usum esse nemo dubitaverit. Qui enim vir Socratis familiaritate gavisus est ¹⁾, quique ingenii praestantiae tam domi quam foris luculenta edidit specimina, potuitne is artium studia, quibus rerum experientiam postea superstrueret, in adolescentia negligere?

muletatus est. Cf. Lysias, (18) c. *Poliarch.* § 4, 5. G. F. Hertzberg, *Alcibiades*, pag. 192. Scheibe, l. l. pag. 52. Büttner, *Gesch. d. Hetair.*, pag. 67.

1) Vide pag. 20.

At praetermissis iis, quae tenebris involuta nec nisi conjecturis inanibus supplenda sint, inquiramus potius in viri naturam atque indolem, quibus virtutibus fuerit insignis, quae vitia ejus animum deformarint, quas ingenii artes vel doctrina vel vitae usu excolendas natura ei tribuerit; haec tam ex antiquorum narrationibus quam ex ipsius factis dictisque, quantum licet, colligamus. *Διὰ τὴν πᾶσαν ἐς ἀρετὴν νενομισμένην ἐπιτήδευσιν* 1) Nicias misero, quem expertus est, vitae exitu omnium suae aetatis Graecorum minime dignus judicatur a Thucydide, teste locupletissimo, cujus verba, quamquam non omni culpa virum absolvunt, diserte tamen significant perpetuum ei fuisse virtutis studium. Ac revera multis animi ornamentis fuit insignis, probitate, integritate, modestia, continentia, liberalitate, humanitate, fortitudine bellica, aliis. Nihil praeter jus et fas egit, ut merito de se posset praedicare, quod dicit in oratione, quam ei tribuit Thucydides habitam ante exercitus stragem in Sicilia ultimam (VII, 77) „πολλὰ ἐς ἀνθρώπους δίκαια καὶ ἀνεπίφθονα δεδιήθημαι”. Observandis patriis legibus institutisque, et quidquid mortalibus justum cen-

1) Thuc. VII, 86. De ejus loci sensu interpretes ambigunt. Equidem facio eum iis, qui verba sic construant: *διὰ τὴν ἐπιτήδευσιν ἐς πᾶσαν ἀρετὴν νενομισμένην* i. e. propter cultum omnium illarum artium, quae virtutis nomine censentur. Id enim Nicias fuit proprium, ut ad vulgares mores consuetudinesque se accommodaret. Cf. Interpp. ad h. l. et Büttner, l. l. pag. 53. — Alteram vero scripturam *διὰ τὴν νενομισμένην ἐς τὸ θεῖον ἐπιτήδευσιν* probant Hermann, *de pers. Nicias ap. Arist.* pag. 24 et Bergk in *Mein. fragm. Com.* II. 2 p. 952. Item G. Grote, l. l. VII, pag. 480.

setur, totum se dedit, quod maxime eluxit in expeditione Corinthiaca 1), ubi victoriae gloriam sprevit prae mortuorum, quorum duo relictis fuerant, sepeliendorum officio: quare universe ejus *καλοκαγαθίαν* ac spectatam civibus virtutem laudat Diodorus Sículus XII, 83 et XIII, 27 2).

Quod vero inter prava aequalium studia inque communi morum perversitate (Cf. Thuc. II, 53) in primis laude dignum est, Nicias nullo lucri studio ducebatur, sed integritatis atque abstinentiae fama inter cives floruit eamque ad extremum vitae tempus retinuit, quare Plutarchus in *Nicias cum Crasso comp.* c. 1. haec scribit: „ἐπὶ κέρδεσιν ἐν βουλῇ λέγειν, καὶ τοὺς συμμάχους ἀδικεῖν κτέ., τούτων αἰτίαν οὐδὲ φευδῆ ποτε Νικίας ἔλαβεν” 3).

Argumento sint imperia per tot annos continuos in eum collata, auctoritas atque honos, quibus Athenis fruebatur, quamvis semper studuerit plebis licentiam, libidines, cupiditatesque coercere. Neque inanem fuisse illam integritatis famam probant ea quae apud Thu-

1) De qua vide Thuc. IV. 44; Plut. *Nic.* 6; quatenus Diodorus XII. 65, qui de duobus relictis cadaveribus omnino tacet, minus accuratam faciat rei mentionem, postea indicabimus.

Populus neglecta cadavera iniquissimo animo ferebat, id quod e sententia de imperatoribus post proelium ad Arginusas a. Chr. 406 commissum lata cognoscitur. Cf. Xenoph. *Hist. Gr.* I. 6, 7. Diod. XIII, 101 et 102.

2) De Nicias probitate porro cf. Niebühr, *Vorträge üb. alte Gesch.* II, pag. 89: »er war durchaus ein ehrenwerther und gewissenhafter Mann” et Filon, *Histoire de la démocr. Athén.*, pag. 103.

3) Cf. G. Grote, I. I. VI, pag. 391 et VII, pag. 484: »he was free from all pecuniary corruption.” F. Kortüm, *Gesch. Griechent.* I, pag. 480.

cydidem VI, c. 15, ante expeditionem Siciliensem narrata leguntur. Etenim inter causas, quae Alcibiadem ad bellum suadendum impulerint, censetur rem familiarem amplificandi cupido; Nicias contra ἀκούσιος ἠρημένος ἄρχειν (VI, 8), bellum patriae perniciosum fore opinatus, expeditioni adversatur, lucri inde sibi redundaturi, si rem feliciter gessisset, plane immemor.

Huic vero iudicio adversari quodammodo videtur Plato in *Gorgia* p. 472, A., ubi Polo sophista contendente non in iustitia, sed in opibus et divitiis felicitatem esse positam, Socrates contrariam defendit sententiam, ita tamen ut fateatur plerosque contra se cum adversario sentire, neque solum vulgus sed etiam clarissimos in republica viros: μαρτυρήσουσί σοι, εἰάν μὲν βούλη, Νικίας ὁ Νικηράτου καὶ οἱ ἀδελφοὶ μετ' αὐτοῦ — Ἀριστοκράτης ὁ Σκελλίου — ἢ Περικλέους ὅλη οἰκία ἢ ἄλλη συγγένεια ἦν τιν' ἂν βούλη τῶν ἐνθάδε ἐκλέξασθαι. Quibus verbis non obscure arguit, viris illis divitias quam iustitiam fuisse potiores. Niciae tamen causam adversus Platonem defendere non vereor. Namque cum magnae viri divitiae philosophum, una virtute et sapientia contentum, in iniquam illam opinionem induxisse videntur, tum etiam reputandum est, universe „Platonem, cui per magistratum „in primis libidinem corrupta prorsus videbatur rei „publicae Atheniensis totiusque Graeciae conditio, „genus illud πολιτικῶν solere non honorifice memorare. Censebat enim, qui rebus civilibus praeesent, „oportere neque auram popularem, neque privata

„commoda curantes, civium utilitatem potius emen-
 „datione morum, quam exaggeratione divitiarum pro-
 „movere. Cujus ad normae severitatem cum omnia
 „dirigenda arbitraretur, consequens est ipsi non modo
 „eorum, qui sese praebebant populi concitandi duces,
 „libidinem vehementer displicuisse; verum ne cacteros
 „quidem, in quibus major quaedam observatio honesti
 „cerneretur, magnopere probatos ipsi fuisse” 1).

Neque, quae ab Aristophane in *Equitibus* vs. 101
 et 111 finguntur, Niciam servi partibus fungentem
 vinum et oracula e domo heri sui, quem fingit Plebem,
 clam abstulisse, sic accipienda sunt, quasi avaritiam
 illius notare voluerit comicus, — nam non sibi furatur
 sed alteri, — potius perstringit Niciae obsequium in
 perficiendo ea, quae ab altero excogitata essent. Om-
 nino audiendum est splendidum Plutarchi elogium:
 τοῖς δὲ πολιτεύμασι τοῦ μὲν Νικίου πανούργον οὐ-
 δὲν οὐδ’ ἄδικον, οὐδὲ βίαιον πρόξεστιν, οὐδὲ δρα-
 σούτης. (*Comp. Nic. c. Cr. c. 2* init.).

Ab illa autem impudentia prorsus alienus idem factis
 dictisque semper modeste erga cives se gessit, quippe
 qui et ad cedendum paratus, neque sui consilii nimium
 tenax, aliorum argumentis sententiam suam submittere
 soleret 2). Huc quoque referendum, quod, teste Plu-
 tarcho in vita c. 15, senectutis reverentia ductus So-
 phoclem, collegarum eo tempore natu maximum, ali-

1) Vid. Groen v. Prinsterer, *Prosopogr. Platon.*, pag. 119 et 121.

2) Modestiam significant Aristoph. *Eq.*, 15 et Thuc. VI, 23 in fine, eaque
 universe apparet e ratione, qua apud populum concionabatur. Cf. W. Roscher,
Leben, Werk u. Zeitalter d. Thucyd., pag. 310.

quando in praetorum conventu primum sententiam dicere jussit. Qua in re quantopere plerisque suorum civium antecelluerit, ostendant Alcibiadis erga senes temeritas et petulantia, quibus vitiis Athenienses non indulserunt modo, sed etiam vulgo apploserunt 1). Praeterea Nicias res suas bene gestas, etsi metu modestiae mixto, non ad suam sapientiam et virtutem sed ad divinum numen referebat, easque fortunae tribuebat. (Plut. *Nic.* c. 6).

Porro honores, imperia, magistratus, populi suffragiis sibi saepe oblata Nicias, quamvis gloriae cupidus, non nimis ambitiose sectabatur, sed tam in his persequendis quam in reliqua vitae consuetudine plura continentiae dedit documenta. Diligens quoque pater familias praedicatur a Thucydide VI, 9, a quo haec ei tribuitur sententia: „ὁμοίως ἀγαθὸν πολίτην εἶναι ὅς ἂν καὶ τοῦ σώματος τι καὶ τῆς οὐσίας προνοῆται· μάλιστα γὰρ ἂν ὁ τοιοῦτος καὶ τὰ τῆς πόλεως δι' ἑαυτὸν βούλοιο ὀρθοῦσθαι.” Quid mirum igitur, si gravitate morum insignis a temporum illorum lascivia plane abhorruit.

Accedunt his aliae virtutes, quae Niciae decori fuerunt quacque ejus animum omnino ornarunt. Namque viri pervulgata liberalitas, de qua postea uberius, ubi de ejus reipublicae administrandae ratione sermo erit, haec quamvis ad plebis gratiam captandam idonea non tamen unice illiberali isti placendi studio tribuenda est. Etenim, teste Plutarcho c. 4, probis

1) Cf. Hertzberg, l. 1. pag. 42. Pseudo-Andocides, κατ' Ἀλκιβιάδου, § 21.

hominibus accessum ad ejus liberalitatem praebebat *φιλανθρωπία*, quae eadem apud Diodorum Siculum XIII. 27 a Nicolao Syracusano in populi concione his verbis cumulate laudatur: „τὸν (Νικίαν) ὁμολογουμένως φιλανθρωπότατον Ἀθηναίων γεγενημένον” 1).

Denique strenuus belli dux, ubi semel ad vitae discrimen perventum erat, multa fortiter et paene herois instar egit. Ob bellicam laudem Plato eum dignum judicavit, quem in *Lachete* induceret de fortitudine disputantem. Ibi prudentia fortitudinem definit, non audacia, atque in aemulo Lachete saepius notat *θρασύτητα καὶ τόλμην καὶ τὸ ἄφοβον μετὰ ἀπρομηθείας* p. 197, quocum praeclare conveniunt ipsius verba ap. Thucyd. VI, 68: „οἱ (Σικελιώται) ὑπερφοροῦσι μὲν ἡμᾶς, ὑπομενοῦσι δὲ οὐ, διὰ τὸ τὴν ἐπιστήμην τῆς τόλμης ἥσσω ἔχειν” 2). Idem reliquo exercitu cladibus et miseriis perculso plane atque abjecto, in Sicilia summam animi vim constantiamque manifestavit secundum Thuc. VII, 76 3),

1) In historia conscribenda Diodorus sine dubio rhetoricam artem adhibuit, quare jure dubitamus, num duae Nicolai et Gylippi illae orationes revera habitae sint; attamen e nostro loco luculenter patet, quanam fuerit communis antiquorum de Nicia opinio. Cf. Grote, l. l. VII, pag. 476. F. Kortüm, l. l. pag. 538.

Mitem eam in hostes victos fuisse docet Thuc. IV, 130, ubi milites in Mendaeos saevientes coercere studet. Cf. Poppon. prolegg. Thucyd. vol. II, pag. 83.

2) Platonis de Nicia, belli duce, sententiam illustrant Groen v. Prinsterer, l. l. et Steinbart, *Einleitung zur Uebersetz. d. Laches v. Hier. Müller*, pag. 347 sqq.

3) Cf. G. Grote, l. l. pag. 458.

quare etiam in Atheniensium concione jure gloriatur, se suo ipsius corpori minime omnium metuere. Vere igitur de eo praedicat Plutarchus in vita, c. 16: ὀρμηῆσαι γὰρ ἦν ἐνεργὸς καὶ δραστήριος, τολμῆσαι δὲ μελλητίης καὶ ἄτολμος.

Jam vero tot tamque praeclaris ingenii atque naturae artibus instructus multo majorem et sibi gloriam et patriae utilitatem comparare Nicias potuisset, nisi idem fuisset angusti animi atque summissi. Quod vitium virtutum ejus splendorem aspersit maculis, rerum bene gestarum famam obscuravit, calamitatum tam ipsi quam reipublicae funestarum causa evasit. Fuit omnino natura multis nominibus a civibus suis diversus. Non enim, ut Atheniensium major pars, agendi ardore flagrabat, sed tardus atque ab omni acriore animi impetu alienus rerum rationes vicissitudinesque lente perpendebat omniaque sollicite circumspiciebat ¹⁾, quare apud Aristophanem *χορολόγητος*, i. e. fatuus aquae potor jocosè vocatur in *Eqq.* vs. 89, et Alcibiades apud Thuc. VI, 18 segnitiam ei exprobrans loquitur de τῇ Νικίου τῶν λόγων ἀπραγμοσύνῃ (Cf. Roscher, l. l. pag. 310). Ita cautus erat, ut plerisque subtimidus videretur. Immo vero puerilis illa anxietas, qua parta semel bona trepide tuebatur et fortunae varietati se exponere timebat,

1) Vid. Thuc. VI, 9: ἐμοὶ (ipse loquitur) μέντοι δοκεῖ καὶ περὶ αὐτοῦ τούτου εἶναι χρῆναι σκέψασθαι, εἰ ἔστιν. . . . καὶ μὴ οὕτω βραχεῖα βουλῇ περὶ μεγάλων πραγμάτων πόλεμον ἄρασθαι. Contra Atheniensium τὸ ταχύβουλον et θερμόβουλον ex Aristophane satis notum est. Cf. J. F. C. Kampe, *Nicias oratio ap. Thuc. lib. VI*, pag. 7.

haud raro in ignaviam abiit verborum pompa prudentiaeque specie dissimulatam. Quo factum est, ut majora pericula adire non ausus, cunctando effugere ea soleret, magis suae securitatis 1) memor quam civitatis, cui ita rerum agendarum opportunitates elaberentur. Quid mirum igitur, si vocabulum *μελλονισιῶν* in ejus dedecus compositum est ab Aristophane, *Avv.* 638. Cff. Thuc. VII, 42; Plut. *Nic.* 8 et 21; Suidas, s. v. 2).

Hanc timiditatem quatenus vel in risum antiqui verterint vel acriter notarint, si quis cognoscere velit, adcat comicos, praecipue Aristophanem in *Equitibus*, in cujus fabulae prologo inducit eum talia loquentem et agentem, unde ejus cunctatio, timiditas, superstitio omnibus manifesto appareant. Prodit in hac comoedia, ut notum est, Populus tamquam dominus senex, decrepitus, cui duo sunt famuli, quibus significantur Demosthenes et Nicias, qui a conservo importuno Paphlagone, quo Cleon significatur, misere vexati omni ope id agunt, ut illius dominatione se liberent. Illorum alter, Demosthenes, est promptus, audax, praeceps; alter querebundus, trepidus, non nisi aegre ad agendum impellitur. Demosthene Niciam hortante ut consilium aliquod expromat, hic tergiversatur:

1) Vid. Plut. *Nic.* c. 6: ὅπου δ' αὐτὸς στρατεύοιτο, τῆς ἀσφαλείας ἐχόμενος, καὶ τὰ πλεῖστα κατορθῶν, quodque ei Hermocratem exprobrasse idem refert c. 16: ὅτι γελοῖός ἐστιν ὁ Νίκιας, ὅπως οὐ μαχεῖται στρατηγῶν.

2) Cff. Poppon. prolegg. Thueyd. I. c. p. 82 sq. et Hermann, *de persona Nic. ap. Arist.* p. 9.

immo, inquit, *σὺ μὲν οὖν μοι λέγε, ἵνα μὴ μάχωμαι*. Illo autem instante, reponit: *ἀλλ' οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε*, qua voce facete tubae cantus, principium pugnae, significatur; tum tectis verbis suadet, ut aufugiant (*αὐτομολεῖν*). Quo spreto, alterum dat consilium *θεῶν ἰόντε προσπεσεῖν τοῦ πρὸς βρέτας*. Ad quod ille cum risu quaerit, num igitur deos esse credat et quo indicio? Ad haec Nicias: credo, inquit, *ὅτιν' θεοῖσιν ἐχθρός εἰμι* 1). Tandem nullum invenit remedium nisi mortem: *κράτιστον οὖν νῶν ἀποθανεῖν*. Qualem autem mortem? Scilicet: *βέλτιστον*, inquit, *ἡμῶν αἷμα ταύρειον πιεῖν. ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος αἰρετώτερος*. Sic ignavum mortis genus illustris viri nomine et exemplo praetexit. Demosthenes mero spiritum sumere animumque erigere mavult; alter vero: *πῶς δ' ἂν μεθύων χρηστόν τι βουλευσάιτ' ἀνήρ;* Cui Demosthenes reponit: *κρουνοχυτρολήραιοσ εἶ*, dum ipse largis Pramniini vini haustibus genio indulget. Mox vino incalefactus consilii aliquid invenit, ad quod exsequendum Niciae ministerio ei opus est. Hic autem quam timide, quam circumspectans omnia et haesitans negotium exsequitur! Omitto reliqua. Ex his quae attuli apparet, quam luculenter comicus cum temperantiam hominis ac religionem, tum vero timiditatem, cunctationem, animum demissum et superstitiosum notaverit 2).

1) Ex quo loco ne efficias ipsius poëtae de diis sententiam, quum tantum sit religiosi hominis notatio. Vid. C. Kock, *Aristophanes u. die Götter d. Volksglaubens*, pag. 90. Leipzig 1857.

2) Aristophanis de Nicia iudicium parum honorificum tum ex aliarum fabularum locis tum maxime ex actu memorato confecit C. F. Hermann in libello, *de persona Niciae ap. Aristophanem*. Marburgi, 1855. Equidem ibi dictis sa-

Thucydides quoque pluribus locis significat ejus *δειλίαν*, cujus dicta afferendi in Niciae rebus domi militiaeque gestis exponendis identidem locus erit. Accedit eodem judicium Plutarchi, qui haec de illo scribit: *Τῇ φύσει γὰρ ὄν ἀδαρσῆς καὶ δόσελπις, ἐν μὲν τοῖς πολεμικοῖς ἀπέχρουπτεν εὐτυχίᾳ τὴν δειλίαν κ. τ. λ. (Nic. c. 2).*

Ejusdem superstitio ex eo apparet, quod non solum antiquos civitatis deos summa reverentia ac religiosissime coluit, sed etiam eorum iram metuens sacrificiis et donis eos placare sibi conciliare solebat. Quotidie sacra diis faciebat; *σφόδρα γὰρ ἦν τῶν ἐκπεπληγμένων τὰ δαιμόνια, καὶ θειασμῶ προσκείμενος. (Plut. Nic. c. 4; ejusdem Mor. p. 169; Thuc. VII, 50; Diod. Sic. XIII, 12) 1).*

Antiqui moris tenax novas omnes de diis deque humanarum rerum moderatione sententias aversabatur.

cile subscribo, quamquam vir clariss. poëtae verbis interdum plus quam quae significant adscripsisse mihi videtur, e. g. quum Laconismum Niciae atque divisum hostes inter et patriam animum eo designari arbitretur, quod eidem Themistoclis mors omnium maxime exoptanda esse videtur (vs. 83):

*βέλυστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν,
ὁ Θεμιστοκλῆος γὰρ θάνατος αἰρετώτερος.*

At sanguinem taurinum venenum esse, quo vita cito extinguatur, tum in Aegypto (Herod. 3, 15), tum in Graecia (Soph. *Fragm.* 183: *ἐμοὶ δὲ λῶστον αἷμα ταύρειον πιεῖν καὶ μὴ γὰρ πλείω τῶνδ' ἔχειν δυσφημίας*) notum erat, quare hoc mortis genus ignavo Niciae animo maxime arrisit, praesertim quum ita Themistoclis celeberrimi ducis vitae exitum imitaretur. Hujus enim merita justis laudibus in hac ipsa fabula v. 821 poëta effert; mortis tamen illud genus quare non nisi transfugae dici potuerit, non video. Talis sententia magis est Pythagorica. Cf. Cic. *Cat. maj.* c. 20.

1) Plutarchus *τῆς θειασμῶν* causam in rerum naturalium inscitia ponit. *Vita Pericl.* c. 6.

Scilicet non satis ei erat animi ac nervorum, ut ipse cogitando in ea, quae suis temporibus aut de deorum numine aut de naturae legibus aut de mutuis hominum officiis nova circumferebantur placita, inquireret, veritus, ne in opinionum speciosarum turba a via trita atque commoda, quam semel ingressus esset, aberraret. Sic factum est, ut Anaxagorae, Periclis, Euripidis, Socratis, sophistarum aequalis et auditor, coeca superstitione antiquum deorum cultum religiose tutatus sit ¹⁾.

Prodigiorum fuit observantissimus, unde ipsi cum omni vatum grege familiaritas fuit; unum autem quendam habuit domi suae, cujus consiliis in quovis vitae negotio uteretur. Quod ne fortasse simulationi tribuamus, etiam privatorum commodorum causa vates consuluit; quocirca non est cur dubitemus ²⁾, multa quae aniliter egit, etiamsi ostentationis non expertia, ex vera animi persuasione profecta esse (Plut. *Nic.* 4, 5, 23. Plat. *Lach.* p. 196 A). Duorum vatum, Niciae familiarium, nomina apud antiquos memorantur, Diopithis et Stilbidis; quorum de hoc legantur Plut. *Nic.* 23 et Aristoph. *Pac.* 1031 cum

1) Instituta sacra quomodo eo tempore Athenis collapsa essent, pulcre describit Filon, l. I. pag. 111 sqq.

2) Vereor enim, ne ignominiosa studiosius conquirendo falsus sit Hermannus haec scribens: »neque illud negligendum est, quod in tanta cultus divini ostentatione facile videri potuit religionem tantum ambitioni vel avaritiae vel ipsi ignaviae suae congenitae praetexere pietatemque non veram sed adsciticiam atque fucata[m] gerere, praesertim quum ejus generis homines, ut fere »fit, inter familiares habuisse videatur, quorum invidiam in ipsum transire »consentaneum erat.» *De Persona N. ap. Arist.* pag. 25.

scholiis, de illo Schol. ad Arist. *Eqq.* 1083, *Avv.* 988, *Vesp.* 379, tum Plut. *Pericl.* 32, *Nic.* 23 1).

Prodigiorum illa observantia ex superstitione orta quemadmodum Atheniensi civitati pernicipiei fuerit, postea apparebit. (Thuc. VIII, 50; Plut. *de Superstit.* c. 7, p. 169 a). Quam autem de providentia divina opinionem Nicias habuerit, declarat ipsius oratio apud Thucydidem, VII, 77 2). Ibi enim se, quamvis multis et gravibus malis afflictum, tamen, propterea quod pium se erga deos hominesque semper praestiterit, bonam eventus spem fovere atque calamitatibus minus percelli dicit quam res ferat. Itaque multum remotus fuit ab illa opinione, quae jam tum Athenis invalescere incipiebat: deos aut nullos esse, aut, si essent, nullam mortalium curam gerere.

Vidimus Niciam in adolescentia cum ceteras disciplinas tum philosophiam attigisse; quem autem in modum ingenii sui facultates mediocres doctrina excoluerit, nunc quantum per rara scriptorum indicia licet indagemus: Socrates, uti diximus, cum eo habuit familiaritatem, etsi non aliunde nisi e Platonis Lachete nobis cognitam: delectabatur viri sermonibus et usu quotidiano, probitatem, honestatem, eruditio-

1) Duos alios vates, Lamponem et Hieroclem, in illorum numerum falso retulit Vischer, *die Olig. Partei*, pag. 15. Cf. Büttner, l. l. pag. 55. De vaticibus, fraudulento et rapace hominum genere, agit T. Halbertsma, *Prosop. Aristoph.* pag. 89.

2) Vidd. Popponis adnotata ad h. l. De sensu verborum αἰ δὲ ξυμφορὰν οὐ κατ' ἀξίαν δὴ φοβοῦναι consulendus est G. Grotius, l. l. VII, pag. 459 sqq.; in nota.

nem admirabatur; nec aegre ferebat sua aliorumque vitia ab illo redargui; immo *χαίρω*, inquit (pag. 188), *τῷ ἀνδρὶ πλησιάζων, καὶ οὐδὲν οἶμαι κακὸν εἶναι τὸ ὑπομιμνήσθαι ὃ τι μὴ καλῶς ἢ πεποιήκαμεν ἢ ποιοῦμεν, κ. τ. λ.* (*Lach.* p. 180 D et 194 D). Non tamen illius disciplinae totum se dedit, quod quominus faceret, impediabant eum cum natura ipsius superstitiosa tum ingenii tarditas. Nihilominus quanti fecerit philosophum, eo ostendit, quod illi etsi recusanti filium suum Niceratum 1) tradidit erudiendum; quo munere deinde functus est Damon 2), quem praeceptorem ei commendarat Socrates. Damone, summae eruditionis viro, Nicias ipse familiariter usus est, eoque duce philosophiae, literarum et musicae studia jam antea suscepta una cum filio persecutus est; atque cum fructum ex illa

1) Filii liberaliter educandi Nicias, quamvis multis negotiis tam privatis quam publicis districtus, summam eam habuit secundum Xenoph. *Sympos.* III, 5 et IV, 6. Nec defuere fructus. Humanitatis enim atque comitatis fama Niceratus inter cives vixit, donec triginta tyranni virum optimum patrimonii patrum avari interfecerunt; ejus mortem, virtutum memoria lacrymas commovendo, tota domus una luxit. Ex ingentibus patris divitiis se quattuordecim modo talenta filio suo relinquere idem jam moriturus commemorat. Quod quare veri parum simile sit, equidem non video. Xen. *Hell.* II, 3, 39. Lysias (18) § 6 sq. Diod. XIV, 5. Lysias (19) § 47. Cf. K. F. Scheibe, l. l. pag. 84 et Böckh, *Staatshaush.* II, pag. 13. Num plures praeter hunc Nicias habuerit liberos, prorsus ignoramus.

2) De Damone, musico et sophista, vid. Plat. *Lach.* p. 180 D, p. 197 D, p. 200 B. Idem, teste Plutarcho in v. *Periclis*, c. 4, Periclis fuit magister atque hinc reipublicae gerendae consilia dedit. Cic. *Orat.* III, 33. Egregius hic civis ob auctoritatem, quam ingenii praestantia Athenis nactus erat, ostracismo expulsus est. Plut. *Aristid.*, 1 et *Nic.*, 6. Plura de illo vide in Pauly, *Realencycl.* s. v. Cf. Büttner, l. l. pag. 38.

institutione percepit, ut ipse Hieronem amicum, quem domi suae educaverat, literas et artem musicam docuerit 1).

Etsi nulla monumenta scripta reliquit, oratoria tamen laude eum inter aequales viguisse, colligi licet ex orationibus, quas ei Thucydides tribuit, qui hunc unum frequentius quam ceteros, ex gr. Periclem, Cleonem, Alcibiadem, concionantem inducit. Unde ne quis conjiciat, vel Niciam ceteris omnibus saepius in concione verba fecisse vel prae ceteris eloquentiae laude eluxisse, quum contra Plutarchus in ejus vita c. 3 disertis verbis dicat, divinam illam Periclis dicendi vim, qua multitudinem suae voluntati obtemperantem teneret, illi plane defuisse. Majoris ejus orationum numeri causa hinc potius repetenda mihi videtur, quod Thucydides, aeque ac Nicias, optimatum in republica gerenda factioni addictus, hunc aptissimum judicaverit, cujus verbis sententiam suam de reipublicae gubernandae ratione diversis temporibus pronuntiaret. Ista autem conciones non iis quibus a Thucydide scriptae sunt verbis et sententiis habitas esse, notissima res est; attamen ad exemplum vere habitarum orationum conformatae talia continent, quae et loquentium personis apta sint et cum

1) Hiero ille noraxi ex Plut. *Nic.* c. 5 nobis innotuit. Dionysii, cognomine aenei (vid. Athen. XV, p. 669), poetae et rhetoris, filium se esse simulavit. Coloniae in Italiam mittendae dux factus Thurios anno 443 a. Chr. condidit.

De Thuris conditis vidd. Diod. XII, 35, 11, 12; Strabo VI, 264; Plut. *Pericl.* 22, 11. Cf. Grote, VI, pag. 18 sq.

ipsorum mente consentiant 1). Quare si quis de Niciae arte oratoria et de dicendi genere ex orationibus Thucydideis iudicium ferre vellet, id temeritatis quidem culpa non vacaret; animi autem ejus et voluntatis effigiem in iis non immerito agnoscimus. Etenim oratio mitis, placida, gravis cum ducis natura optime convenit, sicuti Alcibiadis ingenio audacissimi vocabulorum tropi, jam a Scholiasta notati, valde accommodati sunt. At praeter ingenii morumque adumbrationem in illis concionibus hoc etiam cernitur, quid Nicias senserit de reipublicae administrandae ratione, de qua nobis deinceps erit disputandum.

§ 2.

Niciae reipublicae administrandae ratio.

Honorificum de Nicia exstat testimonium Aristotelis dicentis, tres fuisse optimos cives, qui patrio erga populum essent animo et voluntate, Niciam Nicerati, Thucydidem Melesiae 2), Theramenem Hagnonis filium. Quod iudicium 3) etiamsi honorificentius

1) Multi viri docti de Thucydideis orationibus scripserunt, quare brevi esse mihi licuit. Cf. Poppo, *de Hist. Thucyd. commentatio*. Lipsiae 1856, pag. 28 et Roscher, l. l. pag. 159. Singulas Niciae orationes ibi considerabimus, ubi habitae esse a Thucydide finguntur.

2) De quo vidd. Plat. *Pericl.* passim; Aristoph. *Ach.* 659 sqq.; Plat. *Men.* 84. Cf. W. Vischer, *die oligarch. Partei*, pag. 13. De Theramene agit praeter alios Büttner, l. l. pag. 80 et 85.

3) Vid. Plat. *Nic.* 2. Aristoteles h. l. aristocratiae, quam in *Pol.* IV, 8 et 11, optimam civitatis formam dicit, adeo favet, ut vel Periclem, summum vi-

est quam justius, luculenter tamen indicat, quarum partium Nicias in republica gerenda fuerit. Scilicet optimatum factionis, cui per totam deinceps vitam addictus mansit, dux ille est habendus.

Factio illa auctoritatem, qua diu valuerat, post mortem Cimonis, praecipue autem postquam anno a. Chr. 444 Thucydides, Melesiae filius, auctore Pericle exsilio a republica remotus erat, paullatim amisserat. Quo factum est, ut fracto optimatum imperio per XV annos, quos Pericles praefuit civitati, summa potestas pedetentim ad populum transierit (Plut. *Pericl.* 14). Per illud tempus cum urbs Athenarum e tributis, quae socii pendebant 1), splendidis aedificiis omniumque artium monumentis ornata est, tum civibus certa iudiciorum comitorumque merces erogata, quo liberius totos se publicis negotiis dare possent; Areopagi quidem, legum institutorumque antiquorum custodis, vis fracta ab Ephialte 2); universa autem multitudo ad eum prudentiae civilis gra-

rum, in optimis civibus Atheniensibus enumerandis omittat, unde conjici potest ejus de Nicia iudicium saltém supra verum exaggeratum esse. Deinde animum et voluntatem patriam erga populum illi tribuit, qui cum in Sphacteriae obsidione, tum quando de Sicilia relinquenda sermo erat, populi commoda suae voluntati postposuit. Quid autem de hoc dicam, quod Thucydidem, virum probam et honestam, cum Thoramene Aristoteles comparat? Cf. G. Grote, l. l. VI, pag. 390; Büttner, l. l. pag. 41.

1) De ratione tributorum sociis ab Atheniensibus impositorum conf. omnino Hermann, *Griech. Alterth.* I, § 157; de variis autem populi mercedibus idem agit §§ 68, 128, passim. Cf. porro Büttner, l. l. pag. 43.

2) Quatenus Areopagi auctoritas ab Ephialte fracta sit, explanat Hermann, l. l. §§ 109 et 164.

dum est exulta, ut grave regendi munus, Pericle saltem duce, sustinere quodam modo potuerit.

Hoc autem mortuo, populi libertas statim in licentiam degeneravit. Ex iis enim, qui cum Pericle in republica versati erant, nemo fuit dignus qui in illius locum succederet. Igitur populus id agens ut socii omnium rerum impensas suppeditarent, ipse facilem vitam degens in foro inque curiis diem tereret (Arist. *Vesp.* vs. 707 sqq.), tributa auxit atque in desciscentes crudeliter grassatus est. Improbi autem demagogi, homines humili saepe loco nati, plebis libidini servientes, delationibus optimatum aliisque vilibus artibus ¹⁾ aurem popularem captantes, nil nisi suum lucrum suamque gloriam e communi patriae perturbatione quaerebant. Quorum ex numero praeter Eucratem, Lysiclem, alios, fuit Cleon ²⁾, vir maximae temeritatis atque impudentiae, qui universam oratorum cohortem criminatus, *γερονταγωγῶν καὶ ἀναμισθαρεῖν δίδους* (Plut. *Nic.* 2) populum sibi devinxit. Probis et quietis civibus terrori ille fuit, quum dicendi sua facultate qualicumque uteretur, ut multitudinem omni legum freno solutam ad pessima quaeque impelleret (Thuc. II, 65; IV, 19). In tali rerum statu populari potentiae vel aperte resistere

¹⁾ De turpi *συνομοσίᾳ* agit Hermann, l. l. § 69.

²⁾ Cleonis demagogi vitam peculiariter descripserunt Kortüm, in *philol. Miscell. ex Helvetio*, 1819, et de Lussanet de la Sablonière, *de Cleone demagogo*, Hag. Com. 1852; quorum tamen opusculorum neutrum prodiit absolutum.

vel tecte insidiari absurda sane fuisset res. Quod et intellexerunt optimates nec audaciores facti sunt, antequam calamitas Siciliensis, civitatis viribus graviter attritis, multitudinis animos infregit. Ante id tempus omnes eorum conatus eo redierunt, ut caveant, ne libidinosa plebis dominatione nimis opprimerentur 1). Et anno quidem a. Chr. 427 quum Cleonis crudelia in Mitylenaeos consilia frustrata esset Diodoti mitis oratio, optimatum factio paullum recepit virium et auctoritatis. Ab eo inde tempore principes, domi quidem parum validi, quippe magis spe et voluntate quam communibus consiliis conjuncti, foris saltem res bellicas moderari studuerunt. Igitur ex eorum numero plurimi tam terrestris quam maritimi belli duces prodierunt. Ut autem in omnibus Graeciae civitatibus optimates ad Spartanam rempublicam tanquam aristocratiae propugnaculum se inclinabant, ita iidem Athenis maxime operam dabant paci cum Peloponnesiis componendae, quorum in numero Nicias fuit. Hic et Syracusanorum, Lacedaemonis sociorum, ut testatur Diod. XIII, 27, *πρόξενος* fuit, et, ut Thucydides VII, 86 et Plutarchus, *Nic.* 9, narrant, expugnata Sphacteria captivorum Spartanorum summam curam Athenis habuit, quo factum est ut postea in vitae periculo versatus Spartanis se suosque potissimum commiserit. Idem Cytheris expugnatis incolarum, qui Lacedaemonii ex numero perioecorum

1) Cf. Grote, l. l.; Roscher, l. l. pag. 415; Hertzberg, l. l. pag. 79.

erant, sortem opera sua mitigavit (Thuc. IV, 54; Cf. Roscher, l. l. pag. 421) 1).

Optimatum igitur factionis dux evasit Nicias, qui, quum jam Pericle vivo belli peritia inclaruisset, statim post hujus mortem, i. e. post annum 429 a. Chr., ad rempublicam accessit eo consilio, ut divitum atque optimatum commoda a plebis injuriis defenderet 2). Ad quod amicorum precibus potius quam suo arbitrio adductus, ubi semel summum in civitate locum appetierat, ambitioni suae indulisit et ad populi gratiam captandam omne studium convertit; nec frustra. Tantam enim tamque stabilem hanc sibi conciliavit et ad vitae exitum usque conservavit, ut nemo eum civis hac in re superaverit. Objicit quidem Westius 3), ex omnibus ejus aetatis demagogis eum minime gratiosum fuisse. Quodsi auram illam popularem intelligas, qua demagogus omnia a populo impetrare possit et blandiendo multitudini imperet, equidem viro docto facile assentior; Nicias vero vitae ratione id assecutus est, ut sui existimationem integram servaret utque per omnem vitam a

1) Laconismus Niciae, licet omni dubitatione major sit, nequaquam probat publici hospitii vinculo cum eum Spartana civitate conjunctum fuisse, quum Spartanorum *προξενοί* apud rerum scriptores reperiantur modo ex Atheniensibus Miltiades, Cimon, Alcibiades avus, Callias et Xenophon. Cf. Meier, *Comment. de proxenia s. de publ. Graecorum hospilio*, pag. 30.

2) Vid. Plut. *Nic.* 2, quo loco verba *εὐθὺς εἰς τὸ πρῶτον ἀρχήθη*, me iudice, non sic accipienda sunt, quasi Pericle mortuo statim summum locum in civitate obtinuerit. Immo ab eo inde tempore ad rempublicum accessit, ut data opportunitate primas agere contra Cleonem posset.

3) Pauly, *Real-encycl. v. Nicias*.

civibus suis dignus haberetur, quem in quovis majori negotio consulerent.

Si causas investigamus, quae Niciae concurrerint ad propositum illud facilius assequendum, primum attendendum nobis est ad genus ejus et divitias, quibus quin cives suos ad se traheret fieri non potuit. Namque illustrium majorum longa series etiamsi illis temporibus haud necessaria erat ei, qui primas in republica obtinere vellet, non tamen nullius pretii hanc habitam esse Periclis, Alcibiadis, aliorum exempla manifesto ostendunt 1). Verum validius adminiculum ei praebuere ingentes quas possidebat opes. Erant ei multae in agro Lauriotico argenti fodinae, unde redditus capiebat maximos. Alebat ibi mille servos, quos eum Sosiae Thraci elocavisse narrat Xenophon, ea conditione ut singulis diebus pro singulis obolum solveret, et servorum numerum semper eundem praestaret. Ita ejus patrimonium majori pro parte argento constans centum talentis aestimatum est, quare merito ab Athenaeo VI, pag. 272 e, divitiis inter Graecos praecelluisse dicitur; quae etiam causa fuit cur post cladem Siciliensem Corinthii veriti, ne Nicias, custodibus pecunia corruptis, aufugeret atque rursus aliquid rerum novarum in ipsos moliretur, captivi supplicium flagitarunt. (Xenoph. *Mem. Socr.* II, 5, 2; *Vectig.* 4, 14, ed. J. C. v. Deventer 2); Plut. *Nic.* 4; Lysias,

1) Quantum valeret generis nobilitas ad honores adipiscendos, ostendunt Wachsmuth, *Hellen. Alterth.* I, pag. 624 et Herzberg, l. l. pag. 44.

2) Idem atque Xenophon tradit Athen. VI, pag. 272.

de Arist. bonis, pag. 648; Thuc. VII, 68. Cf. Böckh, Staatsk. I, pag. 628 et ejusd. *Abhandl. üb. d. Silbergruben v. Laurion*).

At operae pretium est considerare, quatenus Nicias in re familiari curanda observaverit ea, quae Cicero (*de Off.* I, 26, § 92) hac de re recte praecepit: „primum ut bene parta sit res familiaris, nullo neque turpi quaestu neque odioso; tum ut quam plurimis, modo dignis, se utilem praebeat; deinde ut augeatur ratione, diligentia, parcimonia, nec libidini potius luxuriaeque quam liberalitati et munificentiae pareat.” Studium rei familiaris augendae Nicias dedecori aut probro fuisse habitum, nusquam apparet. Ejusmodi autem rationibus, a quibus abesset turpitudine, pecuniam facere Athenis cuique licitum erat. Artificia et quaestus, modo ne propter ea publica negotia negligenterentur, in honore erant, quod Pericles ipse his verbis testatur: „πλούτῳ τε ἔργου „(Thuc. II, 40) μᾶλλον καιρῶ ἢ λόγου κόμπῳ χρώ- „μεθα, καὶ τὸ πένεσθαι οὐχ ὁμολογεῖν τινὶ αἰσχρόν, „ἀλλὰ μὴ διαφεύγειν ἔργῳ αἰσχρίον. ἐνὶ τε τοῖς αὐ- „τοῖς οἰκείων ἅμα καὶ πολιτικῶν ἐπιμέλεια, καὶ „ἑτέροις πρὸς ἔργα τετραμμένοις τὰ πολιτικὰ μὴ „ἐνδεῶς γινῶναι” 1). Praeterea comici poetae, qui quodvis turpe lucrum notare solent, sicuti e conviciis in Cleonem βυρσοδέψην, Hyperbolum λυχνοπώλην, Euripidem τὸν τῆς λαχανοπωλητρίας, alios, passim jactis patet, nusquam Niciam operarum locatorem cum contemptu memorasse leguntur.

1) Cf. Büttner, l. l. pag. 46 et G. Grote, l. l. VI, pag. 394.

Sed altera restat quaestio, num pecunia sua quam plurimis, modo dignis, utilem se praeberit? Plebs et urbana et rustica belli sumtibus damnisque exhausta nihil magis cupiebat, quam ut victum antea ex agris perceptum nunc, quum jam ad aerarium frustra confugerent, privati sibi suppeditarent. Hanc civium necessitatem Nicias avide arripuit tamquam idoneam plebis gratiae sibi vindicandae opportunitatem. Quum privatim tum publice pecuniam largiebatur, liberalitate non minus eos qui ipsi nocere possent, quam qui beneficiis digni essent, sibi obstringere studens. Quod largiendi genus parum laudabile plane conveniebat timido viri animo. Recusare dona rogantibus non audebat motu calumniatorum delatorumque, quorum machinationes eo tendentes, ut vel terrore vel blanditiis pecuniam Niciae excuterent, a poetis comicis saepius notantur. Sic secundum Plutarchum in vita c. 4 Teleclides in incerta fabula finxit Niciam sycophantae cuidam quatuor minas dedisse, ut ab homine silentium impetraret; in Eupolidis autem Marica viro quodam otioso ac paupere profitente se nuper vidisse Niciam in foro, hic ut in ipso largiendi negotio deprehensus proponitur ¹⁾.

Extraordinaria quoque reipublicae munera, *χορηγίας*

1) Cf. Meineke, *Fragm. Comic. Gr. II*, pagg. 371 et 501. Ex ipsis illis fragmentis aliisque indicis Suevernius, *über Aristoph. Drama benannt das Alter*, pag. 26 sqq. efficere studuit, Aristophanem in fabula, quae *Γῆρας* inscribitur, Niciam tamquam optimum civem ac spem populi proposuisse. Argumenta autem, quibus hanc opinionem probare conatus est, egregie refutavit C. F. Hermann, I. I. pag. 10—18.

καὶ γυμνασιαρχίας ἐτέρας τε τοιαύτας λειτουργίας, quae ditioribus civibus ordine imponi solebant, tam diligenter exsequebatur, ut omnes, qui vel ante ipsum vel eodem tempore similia praestare deberent, splendore et luxu antecelleret 1).

Itaque choris in certamine superior saepe fuit, numquam victus est. Quid mirum, si idem, quum natura jam ad δεισιδαιμονίαν esset propensus, in decorum cultum regias impensas fecit, gratissimam rem supersticiosae multitudini, cui minime dubium videretur, quin tali homini divina ope omnia prospere essent cessura. Igitur plura hujus generis edidit munificentiae documenta, inter quae praeter Palladis imaginem in arce dedicatam atque sacellum in Bacchi templo tripodibus sacris superstructum, quae donaria Plutarchi aetate adhuc exstabant, apprime memorabilis est pompa solennis, quam legatus in insulam Delum duxit. Quum enim chori, quos civitates mitterent decum hymnis celebraturos, antea, ut primum appellerent, affluente multitudine, cantum instituerent, nullo ordine, sed confuse ac prope coronis et reliquo ornatu se instruentes, ille cum sacrae legationi praeesset, ipse cum choro et sacris reliquoque apparatu in vicinam insulam Rheniam abiit, noctu autem jugum, quod Athenis attulerat, splendide auratum tincturisque et coronis et aulacis ornatum freto imposuit, quo Rheniam et Delum ponte jungeret. Tum prima luce pompam in honorem

1) De λειτουργίας cf. Hermann, Staatsalt. § 161.

dei et chorum ducens magnifice ornatum per pontem descendit. Deinde peractis sacris, palmam aeneam deo dedicavit donum, et agrum decem millibus drachmarum emptum nuncupavit, e cujus reditu Delii sacrificantes epulas instituerent, Niciae omnia fausta precantes: hoc enim columnae inscripserat, quam quasi custodem doni in Delo reliquit. Palma vero illa ventis eversa incidit in magnam Naxiorum statuam ¹⁾ eamque dejecit (Plat. *Nic.* 3; Plat. *Gorg.* p. 472). Nicias quantopere talibus rebus animos civium sibi conciliare studuerit, ostendit item alia narratio ab eodem Plutarcho prodita. Quum aliquando in chorigia quadam servus prodiisset ita ornatus ut Bacchi speciem referret, juvenis imberbis adpectu formosus atque statura grandis, Athenienses spectaculo gavisus diu apploscrunt; tum Nicias surrexit et dixit, nefas se putare, si quis corpus deo consecratum in servitute retineret, juvenemque manumisit. Quam parum stabilis autem esset gratia tali modo comparata, non est quod dicam. Namque mobilium turba Cecropidarum per breve quidem tempus largitionibus allici se patiebatur, statim vero beneficiorum immemor largitorem derisui habebat. Quare aliis artibus efficacioribus Niciae opus fuit. Quantum molestiae habuit ejus severitas, tantum gratiae sibi peperit eo,

1) Hujus statuæ basis recentioribus temporibus reperta est. Cf. Langhorn, in *edit. Plutarchi*, ad h. l.

Quo autem anno Noster θεοργός fuerit, id pro certo definire non amsim. Fortasse facta in textu memorata ad anni 426 auctumnum referenda sunt. Vidd. Thuc. III, 104 et Diod. XII, 58.

quod cautionis speciem prae se ferens populum in concione timeret, non sine verecundia ad publica negotia accederet, et delatores (*συζοφάντας*) sollicito metu reformidaret 1). Omnia haec multitudini, ut quae principes despicientes se metuere, reverentes vero favore suo dignos habere soleat, non grata esse non potuerunt. Summus enim, ut Plutarchus dicit, quem plebs a principum parte expectet, honor est, ne contemnatur.

Idem in muneribus publicis obeundis diligentissimus fuit, quippe qui belli dux ad noctem usque in praetorio degeret, domi autem ultimus e senatu abiret primus ingressus. Periclem (*Plut. Praec. reip. ger. 4*) imitatus neque amicorum convivia frequentavit, neque confabulationibus et conventibus se immiscuit, neque omnino vacavit ejusmodi oblectationibus. Si nulla negotia ejus operam requirerent, publico abstinere solebat, et domi inclusum se tenens aditum difficilem praebat. Amici ejus omnibus, qui ad januas salutatum consultatumve venirent, obviam euntes renunciabant Niciam etiam otiosum reipublicae commoda curare. Simulabat quippe se de rebus publicis vates consulere, revera autem eos de sua re familiari

1) Argumento sint praeter locos supra memoratos tum verba Aristoph. in *Egg.* vs. 358 ab Agoracrito, non a Cleone, ut perhibet *Plut. Nic. 4*, enuntiata:

λαρυγγῶ τοὺς ἄητορας καὶ Νικίαν ταράξω.

Tum Phrynichi ex incerta fabula fragmentum illud:

ἦν γὰρ πολίτης ἀγαθός, ὡς εἶδ' ἐγώ,
καὶ ὑποταγείς ἐβάδιζεν, ὡς περ Νικίας.

sciscitabatur: quo artificio auctoritatem et nomen quaesivit, Hieronis praesertim sermonibus hac in re adjunctus. Hic enim in vulgus efferebat, molestam eum et miseram reipublicae causa trahere vitam, „cui, „inquit, et in balneis et in coena semper aliquod „negotium publicum obtingit, privatam vero rem „negligens propter publicarum rerum curas primo „somno vix obdormiscit. Quo fit, ut corpus etiam „ejus langueat et amicis neque gratus neque jucundus sit, hos aequae ac opes suas nihili ducens prae reipublicae salute. Alii vero, et amicos adepti et „se ipsos e rostris locupletantes, beate vivunt, dum „civitatem ludibrio habent 1).” Ac revera talis fuit Niciae vita, ut merito pro populi servo haberi posset, quare Plutarchus c. 5 in eum transfert haec Agamemnonis verba ex Euripidis *Iphig. in Aul.* vs. 402:

*προστάτην δὲ τοῦ βίου
τὸν ὄγκον ἔχομεν, τῷ δ' ὄχλῳ δουλεύομεν.*

Itaque magnum cernimus discrimen Periclem inter et Niciam, quorum alter imperavit multitudini, alter servivit. Hic tamen duas habuit virtutes cum illo communes, quibus auctoritatem praecipue debuit. Primum quod ad pecuniae studium attinet, fuit, uti diximus, integerrimus, quae illis temporibus tam rara Athenis fuit principum virorum virtus, ut, si quis hac laude floreret, majorem inde auctoritatem fidemque sibi pareret, quam qui omnium reliquarum virtutum

1) Unde hanc de Hierone narrationem Plutarchus hausserit, ignoramus.

fructus esse potuisset. Deinde Nicias iis se opposuit, qui civitatis imperium armis extendere cuperent, quare improbavit longinquas expeditiones, dubia belli discrimina, novorum hostium provocationes. Secundum ejus opinionem (Thuc. VI, 9) civitatem oportebat *τά τε ὑπάρχοντα σφάζειν, καὶ μὴ τοῖς ἐτοίμοις περὶ τῶν ἀφανῶν καὶ μελλόντων κινδυνεύειν*: quibuscum concinunt quae de Pericle memorat Thucydides II, 65: *ὁ μὲν γὰρ (τοὺς Ἀθηναίους) ἡσυχάζοντάς τε καὶ τὸ ναυτικὸν θεραπεύοντας καὶ ἀρχὴν μὴ ἐπιτιωμένους ἐν τῷ πολέμῳ μηδὲ τῇ πόλει κινδυνεύοντας ἔφη περιέσεσθαι*. (Cf. Grote, l. I. pag. 392).

At ne quis putet illum in rebus externis moderandis Periclis rationem et consilium prorsus esse secutum, consideret, quantum inter ambos interfuerit. Nicias, ad quem alta consilia et grandia facta non pertinerent, suae potius famae atque securitati quam reipublicae gloriae consulens quodvis grave certamen defugiebat, paci componendae omni semper studio favebat; Periclis vero quae exstant orationes (Thuc. I, 140—144 et II, 60—64), ut Grotius VI, pag. 633 recte judicat, altius quid ac fortius spirant quam quae Niciae fuerint pacis persequendae rationes. Etenim hic, auctore Thucydide V, 16, volebat, *ἐν ᾧ ἀπαθῆς ἦν καὶ ἡξιοῦτο, διασφασθαι τὴν εὐτυχίαν, καὶ ἔς τε τὸ ἀντίκα πόνων πεπαῦσθαι καὶ αὐτὸς καὶ τοὺς πολίτας παῦσαι, καὶ τῷ μέλλοντι χρόνῳ καταλιπεῖν ὄνομα, ὡς οὐδὲν σφῆλας τὴν πόλιν διεγένετο, νομίζων ἐκ τοῦ ἀκινδύνου τοῦτο ξυμβαίνειν καὶ ὅστις ἐλάχιστα τύχη αὐτὸν παραδίδωσι, τὸ δὲ ἀκίνδυνον τὴν εἰρή-*

νην παρέχειν (Cf. Büttner, l. l. pag. 53). Ob has autem causas Nicias adversarius evasit Cleonis, cui nihil bello optatius fuit reputanti, in turbulentis modo rebus atque animis civium spe metuque suspensis machinationes humiles vilesque artes tuto exerceri posse 1).

At ille adversario minime fuit par. Nimirum Nicias, ut Plutarchi (*Comp. N. c. Cr. c. 2*) verbis utar, τῷ δήμῳ προσήει μετ' εὐλαβείας, caute in concione verba faciebat, tardus erat ad respondendum inimicis, dicteriis ac calliditate parum instructus; contra Cleon semper ad refutandum paratus et lingua promptus civium animos, quo vellet, ducebat, nec non primarios viros impudenter calumniabatur, quibus rebus assecutus est ut in deliberationibus plerumque aemulo palmam praeriperet 2). Si quis vero cognoscere cupiat, qui factum sit, ut optimates demagogo tam violento non alium opposuerint virum ad certamen sustinendum magis idoneum, seriem lustret ceterorum ducum aequalium, qui ab iisdem partibus steterunt, et reperiet, Phormionem, Demosthenem, Lachetem, Eurymedontem, Hipponicum, alios, etiamsi belli peritissimi essent, at rerum forensium rudes, aura populari mi-

1) Thuc. V, 16. Prolatam ibi de Cleone sententiam impugnat Grotius, l. l. pag. 631 sq. et 660 sq. Contra disputant praeter alios Poppo, *de Hist. Thucyd. Commentat.* pag. 16, et Roscher, l. l. pag. 230. In quam opinionum contentionem me implicare non est hujus loci; mihi quidem Grotius singularem Thucydidis fidem omni dubitatione majorem injuria h. l. labelactasse videtur. Etenim quam alienus sit ab ira et studio, historicus tum in exilio suo significando V, 26, tum in ipsius Niciae factis commemorandis ac plurimis aliis locis egregie demonstravit.

2) Cf. omnino Th. Kock, *Einleitung zu Arist. Ritter.*

nus esse usos ¹⁾. Quum igitur meliores duces deessent, Niciam, virum integerrimum, in quo reprehendi minimum posset, optimates elegerunt, quem popularibus genere inferioribus, a quibus saepe in concione superati essent, opponerent; eidem favebant milites, qui Cleonem despicientes, neque magni facientes Lamachum, strenuum quidem ducem, sed egenum, in Nicia suspiciebant opes et genus cum honestate, fortitudine, prudentia conjuncta; nautarum autem mercatorumque turba virum probum, religiosum, splendorum choros ducentem, pauperrimos etiam homines comiter excipientem, publica negotia numquam privati lucri causa leviter gerentem, dignum aestimabant qui tamquam firmum publicae salutis praesidium constanter coleretur (G. Grote, l. l. pag. 395). Adde, quod ante calamitosam expeditionem Siciliensem Nicias numquam in re magna vel difficili belli imperium susceperat, ut militaris ejus fortuna intacta osset atque tam felicitis quam periti ducis nomine gauderet (Plut. *Nic.* 2, 6; *Alc.* 13; Thuc. V, 16 *πλεῖστα τῶν τότε εὖ φερόμενος ἐν στρατηγίαις*; VI, 17; VII, 77). His reputatis intelligitur, quomodo vir multis quidem virtutibus commendabilis, sed tamen quum ingenio et virtute tum eloquentia mediocri eo auctoritatis pervenerit, ut post Cleonis mortem summum in republica locum aliquamdiu obtinuerit, donec singulari Alcibiadis ingenio cedere cogeretur.

At vero, quod dolendum magis quam mirandum,

¹⁾ Cf. Kock, l. l. pag. 13 sq et Roscher, l. l. pag. 415 sq.

eventus spem Atheniensium in uno homine collocatam, ut numquam magis, fefellit, siquidem Niciae ruina simul totam civitatem in perniciem traxit. Utinam ne ille vana gloria ductus tam bello quam pace magni viri nomen et famam secutus fuisset. Mihi quidem ad Niciae rerum gestarum expositionem jamjam transituro ultro in mentem veniunt haec Ciceronis verba: „Vera autem et sapiens animi magnitudo „honestum illud, quod maxime natura sequitur, in „factis positum non in gloria judicat principemque „se esse mavult quam videri. Etenim qui ex errore „imperitae multitudinis pendet, hic in magnis viris „non est habendus” (*de Off.* I. 24).

§ 3.

De Niciae rebus gestis ante Cleonis mortem.

Thucydides in historia belli Peloponnesiaci enarranda Niciae mentionem demum facit, quum ad quintum accessit belli annum, cujus aestate (Ol. 88, 1 h. e. 427 a. Chr.) post Lesbum a Pachete devictam Athenienses, duce Nicia, arma tulerunt in insulam Minoam. Nec tamen prima ea fuit opportunitas, qua exercitum contra hostem duxit, sed jam Pericle vivo, h. e. ante annum 429, praetor creatus et conjunctim cum illo imperium gessit et saepe solus copiis praefuit (Plut. *Nic.* 2). Jam quacratur, quaenam sint superiores illae expeditiones, quibus imperator interfuerit. Harum unam tantum certo indicari posse

puto, nempe Samiam anno a. Chr. 440 factam. Scilicet, teste Plutarcho in vita c. 15, Nicias collegam in praetura aliquando habuit Sophoclem poëtam, qui, quum edita Antígona magnum civium favorem sibi comparasset, in sequentem annum populi suffragiis dux creatus cum Pericle Samum profectus est. Hunc autem saepius praeturam gessisse, cum propter scribendi occupationem et ingentem numerum fabularum quas post illud tempus, quum jam annum aetatis quinquagesimum quintum attigisset, scripsit, tum propter exiguam negotiorum gerendorum peritiam parum verisimile est 1). Itaque Nicias una cum Sophocle et Pericle in insula Samo exercitui praefuisse videtur; cui sententiae obstare haud credo, quod inter nomina ducum hujus belli, quae fragmentum Androktionis (in Schol. ad *Aristid.* III. p. 485 Dind.) nobis servavit, Nicias non occurrat, quum ibi ex decem ducibus octo modo memorentur et viri docti adhuc ambigant, num praetorum creatio per ejus belli spatium iterata sit 2). De ceteris rebus ante annum 427 a Nicia gestis, quas partes vel in bello egerit vel in forensibus deliberationibus, velut de pace altero belli anno Peloponnesiis ab Atheniensibus oblata (Thuc. II, 59; Dion. Halic. *Historiog.* II, 14, ed. Krüger) vel de Mitylenaeorum supplicio, de his quidem nihil constat.

1) Cf. C. O. Müller, *Gesch. d. Griech. Litter.* II, pag. 113.

2) Vide C. W. Krüger, *Historisch-philol. Studien*, I, pag. 212; qui idem consulendus est, si quis scire velit, quibus aliis pugnis Nicias ante belli Peloponnesiaci initium per *Thucydidis quinquaginta annorum periodum* praeesse potuerit.

Ubi igitur belli fortuna, Atheniensibus antea adversa, converti coepta est, expugnata Potidaca magnisque in Acarnania de Peloponnesiis a Phormione victoriis reportatis, praesertim vero Lesbo devicta, cives, etsi spe atque cupiditate elati, Periclis tamen de imperio non amplificando sed tuendo potius consiliis adhuc usi sunt. Eadem enim aestate Niciam, ducem usu atque experientia rei militaris spectatum, classi praeposuerunt, quae insulam Minoam 1), ante Megarasitam, expugnaret, idque triplici consilio, ut tum Megarensium custodia Atheniensibus minus longinqua inde esset quam ex Budoro et Salamine, tum ne Peloponnesii, ut antea factum erat (Thuc. II, 93 sq.), inde irruptiones facerent clam naves et praedatores emittendo, postremo ut ne in Megarensium portum quicquam importari posset. Ceterum quanto Megarenses in odio Atheniensibus fuerint, probant et decretum, quo ab omnibus Atticae ditionis portibus prohibiti sunt, et Periclis in Megaridem incursio primo belli anno facta aliaque crudeliter in eos commissa (Thuc. I, 139; II, 31; Diodor. XII, 44; Plut. *Pericl.* 30; Aristoph. *Ach.* 685—781; ejusd. *Pac.* 482). Ob fractas igitur hostium vires expeditionis istius eventus parum erat dubius ideoque Niciae gratus. Expugnatis primum duabus turribus, partem insulae munitionibus intersepsit. Quod opus quum intra paucos dies confecisset, et in ipsa quoque insula mu-

1) De ea agit Strabo IX, p. 391 et inter recentiores Krus. *Hell.* II, 1, pag. 386 et 392; Leake, *North Greece*, II, p. 401 sqq. Insulae topographiam dedit Arnold in sua Thucydidis editione.

nitionem exstruxisset ac praesidium in ea reliquisset, cum exercitu domum rediit (Thuc. III, 51). Plutarchus rem verbo tangit (*vita Niciae*, c. 6 et *Comp. Nic. c. Crass.* c. 3), sed errat, quando sic pergit: ὀλίγω δ' ὕστερον ἐκ ταύτης ὀρμώμενος, Νισαίας ἐκράτησεν, quum e Thucyd. IV, 66—69 et Diodor. XII, 66 discamus, Nisaeam, Megarorum portum, anno demum 424 a. Chr., ducibus Demosthene et Hippocrate, expugnatam esse; quamquam id praesenti victoria praeparatum fuisse haud nego. Diodoro Minoae expugnatio ne memoratu quidem digna visa est; errorem vero ille committit XII, 80, Cythera et Nisaeam anno 418 Nicia duce capta esse tradens, quum imprudens iteret ea quae jam prius gesta descripserat XII, 65 sq.

Nicias, postquam semel inclaruit, per plures deinceps annos praetura ornatus reipublicae utilem in bello operam praestitit. Plataeis ab hoste dirutis incolisque crudeli modo punitis, anni sequentis 426 aestate Athenienses triginta navium classem, cui praecerant Demosthenes Alcesthenis et Procles Theodori filius, circa Peloponnesum miserunt, sexaginta vero naves et duo millia armatorum Niciae commiserunt, quibuscum in insulam Melum ¹⁾ navigaret. Ibi jam civitatem a Periclis belli gerendi ratione recessisse cernimus. Etenim expeditio haec aperte eo spectabat, ut imperii fines

¹⁾ Melum, Spartanorum coloniam, societatem Lacedaemoniorum semper amplexam esse declarant Thuc. V, 84; Herodot. VIII, 46, 48; Diod. XII, 42, 65; Conon, *Narrat.* XXXVI. In hac insula exigui quoddam aluminis genus erescit. Diod. V, 10.

extenderentur, sicut apparet ex his Thucydidis verbis: τοὺς γὰρ Μηλίους ὄντας νησιώτας καὶ οὐκ ἐθέλοντας ὑπακούειν οὐδὲ εἰς τὸ αὐτῶν ξυμμαχιζὸν εἶναι, ἐβούλοντο προσαγαγέσθαι (III, 91). Omnes insulanos parere sibi oportere existimabant Athenienses (cf. V, 97, 99; VII, 57, 7), nec decennio post dubitarunt Melios vi atque armis sibi subicere, nunc sollicitandis iis, si forte ad societatem suam traducere possent, contenti. Quum autem illi agro vastato tradere se nollent, Athenienses castris ex insula motis ad Oropum, quod est oppidum e regione Euboeae, navigarunt; cumque sub noctem eo appulissent, gravis armaturae milites e navibus egressi protinus itinere pedestri ad Tanagram, Boeotiae urbem, ire coeperunt. Tum auxiliis magnis per faces Athenis arcessitis castrisque illo die apud Tanagram positis, agrum populati sunt, et noctem ibi transegerunt. Postero die, cum Tanagraeos, qui eruptionem in ipsos fecerant, et Thebanos aliquot, qui his auxilio venerant, proelio superassent et tropaeum statuissent, hi in urbem, illi vero ad naves redierunt. Nicias autem cum sexaginta navibus littus legens Loeridis oram vastavit domumque rediit (Thuc. III, 91; Diod. XII, 65; Athen. V, pag. 218 1). Ita neque haec ex-

1) Plutarchus verbo tantum rem indicat, *Comp. N. c. Cr. 3*: Ὁ δὲ (Νικίας) ἐπὶ Μηλίους τοὺς ταλαιπώρους (i. e. qui postea, anno 416 a. Chr., crudelissime afflicti sunt) φυλάττων στρατηγὸν κ. τ. λ.; neque Diodori verba XII, 60, Nicias ductu Melum postea devastatam esse clare significant. Cf. Wesselingius ad h. l. Id autem Diodorus prave, quod varias Nicias expeditiones, e Thucydide melius cognitae, in unum annum conjecit.

peditio prospero eventu caruit. In quo tamen animadvertere licet, quam sedulo Nicias vel minimum periculum caveret, quippe qui ingenti navium militumque copia, licet a Diodoro sit supra verum exaggerata, fretus munus haud ita arduum recipere non recusavit quidem, sed re frustra tentata statim ab incepto destitit, deinde Lacedaemoniorum sociorum agros depopulaturus vires suas intactas novis etiam auxiliis corroborandas curavit 1).

Ceterum quod ad primam hanc in Melios expeditionem attinet, perperam Suidas in voce. *λιμὸς Μηλιαῖος* et *ὑπερακοντιζεις*, et Scholiasta Aristoph. *Avv.* vss. 186 et 363 scribunt, Melios fame coactos Nicias se dedidisse. Confuderunt nimirum hi duas Atheniensium expeditiones in insulam Melum susceptas; quare istis compilatoribus contra disertam Thucydidis narrationem fides non est tribuenda (cf. Poppo ad Thuc. V, 116 2)).

Silentio praeteribimus, quae eadem aestate a Demosthene in Aetolia et Acarnania, nec non quae per subsequens hibernum tempus ab Atheniensium ducibus in Sicilia gesta in altera libri tertii parte a Thu-

1) Circumspectionem hominis ac malam saepe sollertiam, qua, si quando periculum subeundum armisque decertandum esset, illa se ab omni parte tutabatur, ut magis adversum casum metuere quam secundum sperare videretur, in singulis expeditionibus notare supervacuum puto. Unum tantum hoc etiam monco, me neque Phrynichi fragm. IV e *Monotropo* neque Aristoph. locum ex *Av.* 361:

ὑπερακοντιζεις σὺ γ' ἤδη Νικίαν τὰς μηχαναῖς,

non cum Suerenio in laudem ejus imperatoriam, sed, suadente Hermanno, l. l. pag. 9, in ducis vituperationem accipiendum esse censere.

2) Ab hac sententia discedere videtur Roscher, l. l. pag. 424.

cydide ample enarrantur, ut jam fusius agamus de certamine, quod anno 425 Cleonem inter et Niciam de reipublicae moderatione initum est, qua sola oportunitate duo illi viri tamquam adversarii apud Thucydidem sibi opponuntur. Quum igitur Atheniensium classis, duce Demosthene, quadringentorum circiter Spartanorum Lacedaemoniorumque manum in insula Sphacteria inclusam teneret, induciis factis, circa mediam aestatem Lacedaemone legati pacem petitori Athenas profecti sunt. Quatenus autem Nicias, qui eo ipso tempore praetor in urbe aderat, Cleoni se opponens paci cum Spartanis conciliandae operam dederit, difficile dictu est. Thucydides quidem hac in re eum non memorat 1); Plutarchus vero c. 7 affirmat, legatos infecto negotio discedere coactos esse, quod Cleon paci adversaretur, idque *οὐχ ἥμισυ διὰ Νικίαν ἐχθρὸς γὰρ ὢν αὐτοῦ, καὶ προθύμως ὄρων συμπράττοντα τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἔπεισε τὸν δῆμον ἀποψηφίσασθαι τὰς σπονδάς.* (CII. Philochorus, Fragm. 105 ed. Didot; et Grote, l. l. VI, pag. 453). Videtur sane Nicias civium factione jam tum satis numerosa (quantum ex Aristophanis *Acharnensibus* et *Pace* colligere licet) adjutus paci operam dedisse, sed, quum legati a temerariis Cleonis criminationibus ne verbo quidem se liberarent, populi voluntati, spe praesertim fiduciaque elati, gravate

1) Quae enim VII, 86 perhibet de foedere, quod Nicias, Spartanos captivos studiose ambiens, Atheniensibus suavit ut paci-erentur, haec aperte referenda ad anni 421 pacem V, 16 seqq. explicatam.

cessisse. Itaque legati re infecta reversi sunt. (Thuc. IV, 21, 22; Diod. XII, 63 1)).

Quum autem insulae oppugnatio propter commeatum obsessis missum produceretur atque classis Atheniensium tempestatibus, inopia, aliisque difficultatibus premeretur, pacis non acceptae populum vehementer poenituit. Quid mirum, si mox in Cleonem belli suasorem civium ira conversa est metuentium, ne hiems praesidium suum opprimeret? Quod Cleon ubi intellexit, negavit verum dicere eos, qui nuntios de exercitus incommodis afferrent. Hi autem cum populum rogarent, ut, si fidem sibi non haberet, exploratores eo mitteret, Cleon cum Theagone explorator a civibus electus est. Quod munus ille trepide recusans suasit, quod cives ad bellum gerendum propensos videbat, nullos quidem exploratores mitterent, neve cunctando occasionem elabi sinerent, sed si vera esse crederent quae nuntiabantur, ipsi cum classe profiscerentur, ut obsessos expugnarent. Facile enim esse parata classe, si duces viri essent, Spartanos in insula interclusos debellare; hoc se facturum, si praeturam gereret 2). Tum vero Nicias jure suo decedens adversarium jussit rem aggredi cum copiarum

1) Quum Cleonis tantum rationes contra pacem allatae a Thucydide memorentur, adversariae vero factionis nulla fiat mentio, huic testimonii penuriam mederi voluit Aelius Aristides scripta oratione *ἐπὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης*. Vid. Dindorfii edit. I, pag. 591. Est vero haec declamatio tunida et locis communibus referta, quae ob inflatum dicendi genus rhetoribus fortasse placuerit, ad historiam vero illustrandam nullius est pretii.

2) Haec et quae Nicias in eadem concione contra egit a Thucydide IV, 27—28, et a Plutarcho *in vita* c. 7 praeclaro cum consensu ample descripta sunt.

numero quanto ipse vellet. Id ille non providerat. Haesitandi tempus jam non erat, quum etiam populus flagitaret, ut imperium sibi oblatum reciperet. Igitur necessitate coactus Cleon negotium suscepit atque confecit.

Quodsi de partibus, quas ista in re Nicias egit, rectum iudicium ferre volumus, reputare nos oportet, quum semel legatione hostium dimissa populus bellum persequendum decrevisset, opus fuisse omnino ardore insulae expugnationi incumbere. Quare negligentiae ac desidia culpa liberari non possunt duces, qui ne necessaria quidem mittentes auxilia domi tempus in otio triverunt. Praeterea vero, quod Nicias periculosam expeditionem defugiens ¹⁾ praeturae renuntiavit, immo in patriae discrimine potestatem suam in alterum, quem huic muneri obscuro impari crederet, transferre non dubitavit, has ob causas merito in acrem vituperationem cadit, neque facinoris dedecus eo minuitur, quod, teste Thucydide, insidiis istis fore ut a molesto aemulo liberaretur speravit. Idem hac de re sentiens Plutarchus cum alibi Niciam reprehendit tum in *Comp. N. c. Cr. 3*: *Τὸ δὲ τοῦ Νικίου παντάπασιν ἄτοπον καὶ δεινόν. οὐ γὰρ ἐλπίδας οὐδὲ ῥαστώνην ἐχούσης ἐξέστη τῷ ἐχθρῷ φιλοτιμίας καὶ ἀρχῆς, ἀλλὰ κίνδυνον ὑφορώμενος ἐν τῇ στρατηγίᾳ μέγαν, ἠγάπησε τὸ καθ' αὐτὸν ἐν ἀσφαλεῖ θέμενος προέσθαι τὸ κοινόν.* et

1) Cf. Plut. *Nic. c. 6*: τὰς μὲν ἐργάσεις παντὶ καὶ μακρὰς ἐπιειράτο διακροῦσθαι στρατηγίας.

paulo inferius: 'Ο δ', εἰ δέοι μάχεσθαι Λακεδαιμονίοις, ἀποδύομενος τὴν χλαμύδα καὶ τῇ Κλέωνος ἀπειρία καὶ θρασύτητι ναῦς καὶ ἄνδρας καὶ ὄπλα καὶ στρατηγίαν ἐμπειρίας ἄζρας δεομένην παραδιδούς, οὐ τὴν ἑαυτοῦ προῖεται δόξαν, ἀλλὰ τὴν τῆς πατρίδος ἀσφάλειαν καὶ σωτηρίαν ¹⁾. Neque aliter judicat G. Grotius, l. l., VI. pagg. 464 sqq. et 481, qui primus dilucide exposuit, quatenus Nicias ejusque factio hac occasione peccaverint; praecipue hoc inculcat, quod ille privatis odiis patriae salutem posthabuerit. Ceteri recentiores historici perstringenda Cleonis temeritate contenti in hunc solum invehuntur.

At prosper rei eventus praeter expectationem Niciae rationes fefellit. Cleon promissis stetit et intra tempus definitum Spartanorum quotquot proelio non cecidissent, captivos Athenas abduxit. Quo animo erga Niciam cives tunc fuerint, tradit Plutarchus: *Καὶ τοῦτο τῷ Νικίᾳ μεγάλην ἠνεγκεν ἀδοξίαν. Οὐ γὰρ ἀσπίδος ῥίψις, ἀλλ' αἰσχρόν τι καὶ χειρόν ἐδόκει τὸ δειλία τὴν στρατηγίαν ἀποβαλεῖν ἐκουσίως καὶ προσέθαι τῷ ἐχθρῷ τηλικούτου κατορθώματος ἀφορμὰς, αὐτὸν ἀποχειροτονήσαντα τῆς ἀρχῆς (c. 8). Exempla addit ex Aristophanis fabulis petita, quibus id, quod de Niciae ἀδοξία scripsit, confirmetur. Scilicet in *Avv.* vss. 638 sq. poëta haec dicit:*

καὶ μὴν μὰ τὸν Δί' οὐχὶ νοστάζειν ἔτι
ὥρα ἴσθιν ἡμῖν, οὐδὲ μελλονικιᾶν.

¹⁾ Ab omni judicio hac opportunitate abstinent Thucydides et Diodorus, XII, 63.

et in *Agric.* (cf. Meineke, *fragm.* I, pag. 985) ita scripsit:

A Ἐθέλω γεωργεῖν. εἶτα τίς με κολύει;

B. ἡμεῖς. *A.* ἐπεὶ δίδωμι χιλίας δραχμᾶς,
εἰάν με τῶν ἀρχῶν ἀφῆτε; *B.* δεχόμεθα
δισχιλῖαι γάρ εἰσι σὺν ταῖς Νιζίου.

At horum locorum altero universe notari ducis βραδυτήτα, τὸ προνοητικὸν καὶ μὴ προπετές (cf. Schol.), non vero rem de qua agimus tangi, nemo non agnoscat ¹⁾. Neque alter locus universi populi reprehensionem significat, sed poëta spectatores de re admonct nobis ignota, quum Nicias, metuens ne in χειροτονίᾳ ratio sui haberetur, pecuniam largitus esset. Videtur igitur Plutarchus populi improbationem indeque secutam Niciae infamiam aliquantum exaggerasse. In quam sententiam eo praecipue inducimur, quod paullo post Sphaeteriam expugnatam expeditio adversus Corinthum ei mandata est, unde colligere licet, populi voluntatem erga eum non mutatam fuisse. Rem ita se habuisse credimus. Populus in concione omnia suo nutu regere solitus omnesque sibi obtemperare cupiens, quum semel Cleonis magniloquentiae respondisset clamando: Τί δ' οὐχὶ καὶ νῦν αὐτὸς σὺ πλεῖς ἐπὶ τοὺς ἀνδρας; haud invitus Niciam ad deponendum imperium vidit para-

1) C. F. Hermann, l. l. pag. 8, ad Siciliensem potius expeditionem hos versus spectare opinatur, altero autem loco nec de multa ob detractatam expeditionem lege imposita neque omnino de praesenti causa cogitari posse ostendit. Imperium enim in populi concione subito transfertur; de pecunia oblata ad munus abrogandum hic sermo esse nequit.

tum, quamquam ejus peritiam aut pugnandi alacritatem 1) in dubium non vocabat, rerum prius bene gestarum memor; Cleonem autem, quum magnam sui expectationem commovisset, quamvis tergiversantem, οἶον ὄχλος φιλεῖ ποιεῖν, imperio ornari voluit. Prudentiores vero reputarunt, si Cleon proficisceretur, fore ut vel in perniciem rueret vel Lacedaemonios sibi subiceret. Sic ille communi omnium consensu ad bellum profectus est, salvo tamen Niciae honore. Postea ob inopinatam victoriam tantum Athenis fuit gaudium, ut, etiamsi qui forte militiae detractori succenserent, universa tamen civitas ante factorum oblita solum de reportata belli gloria vel de futuro imperii incremento cogitaret. Quo factum est ut Athenienses non dubitarint Niciam denuo copiis praeficere, ut ex probata ducis peritia quantum possent fructum caperent.

Eadem enim aestate decreverunt navigare in isthmum Corinthiacam cum triremibus octoginta 2) et duobus millibus armatorum, additis equitibus ducentis; sequebantur sociorum nonnulli. His copiis Nicias, qui prioris culpa exstinguendae occasionem

1) In Aristophanis quidem *Eqq.* vs. 742 Cleon, dum populi benefactorem se jactat, inter alia haec praedicat:

ὅτι τῶν στρατηγῶν ὑποτρομόντων, ἐκ Πύλου,
πλείους ἐκεῖσε, τοὺς Λάκωνας ἤγαγον.

Quae verba etsi Niciam potissimum spectant, tamen nil nisi ridiculam gloriam denagogo egregie accommodatam continere mihi videntur.

2) Universam classem centum navibus constitisse refert Diodorus XII, 65. Quod si verum esset, ducentos illos equites viginti navibus transvectos esse oportuit: quod vix credibile.

avide arripuit, posthabitis ut videtur oblatae pacis (Thuc. IV, 41 et Arist. *Pac.* vs. 636 sq., add. Schol.) conditionibus, cum duobus collegis praefectus est. Igitur exercitu trajecto, cum prima luce clam appuissent, cum Corinthiis manum conseruerunt. Diu vario Marte dimicatum est, donec hostibus fugatis et eorum duce Lycophrone caeso, Athenienses superiores evaserunt; splendida ibi reportata est victoria, quum Corinthiorum in pugna ceciderint ducenti et duodecim, Atheniensium vero circiter quinquaginta. Rem accurate et discrete describit Thucydides IV, 42—44 1), quare in ceterorum scriptorum relationibus iudicandis hunc ducem sequi licet.

Primum igitur Diodorus, qui leviter tantum rem attingit, non modo in tempore notando lapsus est, sed etiam caesorum numerum Atheniensium ad octo reducens, Corinthiorum vero ad trecentos augens a vero aberravit. Plutarchus autem quae de hac expeditione narrat, jam supra (pag. 10) retulimus. Ceterum animadvertere lubet Aristophanem, ubi hoc factum memorat (*Eqq.* 595—610), Niciae ne nomen quidem citare: quod nolis sic interpretari, quasi poëta ob ducis contentum hoc fecerit, sed quum ibi totus in equitum gloria praedicanda occupatus esset, tam ducum nomina quam cetera ad rem pertinentia omisit. Hoc quoque proelio Niciam strenue rem gessisse non est cur du-

1) Totum hunc locum praeter Arnoldum, qui tabulam geographicam et brevem orae Corinthiae a Cenchreis in meridiem vergentis descriptionem addidit, illustrat Leak., *Mer.* III, p. 309 sq. Cf. Poppo ad h. l.

bitemus; etsi quidem duo caesorum cadavera non reperta victoriae palmam ei praeripuerunt, non tamen caruit gratia populi religionis observantiam semper approbantis. Postremo Polyaeus I, 39, 1 auctor est, Niciam, ut primum appulit, mille armatis in insidiis collocatis, rursus abnavigasse; quo facto Corinthios prohibere cupientes, ne Athenienses reversi iterum appellerent, copias ex urbe eduxisse, sed maximam horum partem ab iis qui in insidiis laterent esse occisam. Quae narratio ab ea, quam apud Thucydidem legimus, valde discrepat. Polyaeo in his fidem haberi jure vetat Leak., *Mor.* III, p. 310. Sed ad Thucydidis narrationem redeamus.

Athenienses mox, ob auctum hostium numerum navibus repetitis et mortuis post inducias receptis, Crommyonem abierunt ibique agris vastatis pernecatarunt. Postero die maritimam oram legentes irruptiones quasdam in Epidaurium agrum fecerunt et, Methone praesidio relicto, postea Troezenium et Haliensem et Epidaurium agros latrocinii infestarunt. Postquam autem locum illum muro muniverunt, navibus domum sunt reversi. (Thuc. IV, 45; Diod. XII, 65; Cf. Grote, l. l. VI, pag. 487 sqq.)

Athenienses autem secunda fortuna, quam experti erant tam in rebus Corcyraeorum ordinandis quam capto per proditionem Anactorio, ea utendum esse rati, imperii amplificandi studio indulserunt. Itaque ineunte aestate anni 424 a. Chr. magno 1) copiarum

1) De navium militumve numero nulla hic est dissensio Thucydidem inter

naviumque apparatu bellum intulerunt insulae Cytheris; cui expeditioni praeposuerunt Niciam, Nicostratum et Autoclem, quos inter primum locum tenuisse Niciam e pactionibus obsidionis tempore initis colligas. Jam vero quanto majoris pretii Cythera insula Lacedaemoniis fuit et quanto plus curae impenderunt huic conservandae, tanto major ex rebus ibi gestis quum in Niciam gloria tum in Athenienses redundavit utilitas. Omnem rei rationem et eventum ordine exponere non est hujus loci (eff. Thuc. IV, 53—57; Diod. XII, 65, 80; Plut. *Nic.* 6; ejusd. *Comp. N. c. Cr.* 3 et 4; Suidas, v. *Νικίας*); sunt tamen quaedam, de quibus lectorem monitum velim.

Scilicet Cytherii, ἐς τὴν ἄνω πόλιν fugati, paullo post cum Nicia pacti sunt, ut salva incolarum vita urbs victoribus traderetur. Ἦσαν δὲ τινες καὶ γενομένοι τῷ Νικίᾳ λόγοι πρότερον πρὸς τινὰς τῶν Κυθηρίων διὸ καὶ θᾶσσον καὶ ἐπινηδειότερον τὸ τε παραντίξα καὶ τὸ ἔπειτα τὰ τῆς ὁμολογίας ἐπράχθη αὐτοῖς. Vereor autem, ne vehementer fallatur, si quis hac in re Niciae clementiam solum agnoscat,

et Diodorum. Ambe 60 triremes et duo millia armatorum interfuisse perhibent, quamquam Thucydides equites nonnullos addit et praeter alios socios bis mille Milesios c. 54 memorat. Vitium tamen hic latere in *διεχλίσις* et propter armatorum copiam majorem, quam quae a civitate socia Atheniensibus suppeditata videatur, et propter navium iis adjunctarum paucitatem probabile videtur. Cf. Poppo ad h. l. et Grote, l. l. pag. 501. Ceterum Diodori XII, 80 errorem jam supra pag. 41 indicavimus. Negligentius autem idem c. 65 unius tantum insulae urbis, quam Athenienses facta compositione ceperint, mentionem facit, quum apud Thucyd. tres, vel saltem duae, Scandea et Cythera, quarum haec in duas partes parvo intervallo divisa erat, memorentur. Cf. Paus. III, 23.

quod Cytheriorum paucos tantum Athenas abduxerit eosque populi decreto in insulis collocandos curaverit, ceteris modicum quaternorum talentorum tributum imposuerit. Immo vero confabulationes illae dubitare nos non sinunt, quin Nicias id fecerit idco quod rebus Lacedaemoniorum studeret¹, idque tam suoapte ingenio quam quia confideret fore, ut sic agendo aliquando sequestri partibus facilius fungi posset. Ex eadem autem re apparet, quanta tunc domi esset Niciae auctoritas, quum, nisi ille obstitisset, *ἀνέστησαν ἂν 1) οἱ Ἀθηναῖοι Κυθηρίους, Λακεδαιμονίους τε ὄντας, καὶ ἐπὶ τῇ Λαζωνικῇ τῆς νήσου οὕτως ἐπιχειμένῃς.*

Cytheris captis, duces non statim domum abierunt, sed per septem dies oram Laconicae maritimam circa oppida Asinen, Helos, Cotyrtam et Aphrodisiam populati sunt. Inde revertentes, agros prope Epidaurum Limeram vastarunt, urbem Thyream captam incendio deleverunt, incolas Aeginae partim trucidarunt partim Athenas abduxerunt, quos populus propter priores perpetuasque simultates (cf. Thuc. I, 14, 105 sqq., 67; II, 27) odio flagrans cunctos supplicio affecit²).

Tantis tamque repentinis cladibus afflicti Lacedaemonii, si unquam ante, segniores ad bellum redditi sunt. Accedebant multa, quae brevi temporis spatio

1) Recipio illud ἂν, quod vulgatae lectioni inserendum docuit Poppo, ad Thuc. IV, 54.

2) Contra disertum Thucydidis testimonium fidem habere non possumus Diodoro narranti XII, 65: οἱ δὲ Ἀθηναῖοι τοὺς Αἰγινήτας ἐν πύλαις κατεῦχον. Utinam crudelitatem Atheniensium minuens vera dixisset!

praeter omnem expectationem ipsis acciderant adversa et gravem incutiebant metum, ne quid in republica novaretur: quare et ad pugnandum erant timidiores et, quicquid aggredierentur, infelicem exitum fore putabant propter animi diffidentiam, ut qui adversae fortunae non essent assueti (Thuc. IV, 55).

Ceterum Dionysio Halicarnassensi reprehendendus videtur Thucydides, quod, *ῥαθυμότερον ἐπιτρέχων τὰ δέοντα πλείονος ἐξεργασίας*, ea quae ad Pylum et Sphacteriam ab Atheniensibus acta essent, accuratius exposuerit quam Nicias expeditionem in Cythera Thyreaeque expugnationem. Atqui non advertit, qui in Sphacteria capti essent, paucos quidem fuisse, sed Spartanos. Hinc invicti videri Lacedaemonii desierunt; hinc postmodum res ad pacem est perducta. Contra Cythera Thyreaeque capta plenior enarrationem non requirebant, quum hostes jam terrore percussi cito arma tradidissent. Sic igitur Nicias non nisi quod ab aliis inchoatum erat perfecit (Cf. Dion. Hal. *Histor.* II, 14, ed. Krüger).

His victoriis quum Athenae ad gloriae ac potentiae fastigium pervenissent, mox de hoc gradu dejectae sunt, quum et Megarorum urbs a Brasida obsidione sit liberata, et res in Bocotia Deliaca clade conturbatae, et sociae urbes in Thracia, praesertim Amphipolis, a Brasida occupatae sint. Quibus rebus factum, ut anno 423 cum Lacedaemoniis, captivorum suorum recuperandorum cupidis, annuas inire inducias non dubitarint. Inter legatos qui ab Atheniensium parte eas pacti sunt fuit Nicias (Thuc. IV, 119). Quam

quidem rem hic verbo indicasse sufficiat, sequenti capite fusius de ea commemoraturis. Illud tamen memorabile, Niciam contra consilium Cleonis, qui in Thracia omni vi adversus Brasidam pugnandum esse sine dubio censeret, tantum valuisse apud cives, ut inducias a Spartanis oblatas accipere non modo non aversati sint sed etiam cupierint. Quod tamen majore pro parte communi pacis desiderio tribuendum est (Thuc. IV, 117). At altero post inducias confirmatas die Scione urbs Chalcidica ab Atheniensibus descivit. Cujus rei nuntio Athenas allato, οἱ Ἀθηναῖοι εὐθὺς ἑτοιμοὶ ἦσαν στρατεύειν ἐπὶ τὴν Σκιώνην, et, Cleone suadente, statim decretum fecerunt de expugnandis occidendisque Scionacis. Haec dum parant, Mende quoque, urbs in peninsula Pallene, defecit; quibus compertis multo magis irati se adversus utramque civitatem ad bellum instruunt.

Media igitur aestate anni 423 Atheniensium classis quinquaginta triremium, mille militibus graviter armatis, sexcentis sagittariis, mille mercenariis Thracibus aliisque peltastis instructa, Chalcidicen petivit et ad Potidaeam appulit, ducibus Nicia et Nicostrato. Manu conserta Nicias in proelio vulnus accepit, quod tamen grave esse non potuit, quum triduo post novam in hostes irruptionem fecerit. Mende propter intestinam discordiam, dum Brasidas in Macedonia aberat, facile expugnata est. Scione, postquam Perdiccas a Nicia in Atheniensium societatem receptus est, aestate jam extrema undique est circumvallata. Quo facto Athenienses, praesidio apud oppidum re-

licto, cum reliquis copiis domum abierunt (Thuc. IV, 129—133; Diod. XII, 72; Plut. *Nic.* 6 et *Comp. N. c. Cr.* 4).

Haec sunt quae Nicias ante Cleonis mortem, i. e. ante annum 422, domi militiaeque pro patria gessit. Quibus in rebus tam belli peritia quam pacis studio civibus tantopere se commendaverat, ut gloria ac honore tum unus maxime floreret.

CAPUT II.

NICIAE FLOS. ALCIBIADES EI ADVERSATUR.

§ I.

Pax Niciae.

Processimus jam ad illud tempus, quo Nicias gratia et auctoritate plurimum valens in rebus Athenarum totiusque Graeciae ordinandis maximam vim exercuit atque illud perfecit, quo nomen suum maxime posteritatis memoriae commendavit. Quicumque enim etiamnunc Niciae nomen in memoriam sibi revocat, statim cogitat de quinquaginta annorum pace, qua, post multa ac crudelia certamina armis positissimatisque oblivioni datis, otium et quietem exhaustis urbibus et defessis incolis reddere in animo habuerunt civitates belligerantes. Memorabile factum et dignissimum sane cujus causas rationesque et effectus indagemus, ut inde, quasnam ea in re partes Nicias egerit, quatenus meritam sibi pepererit laudem, efficiamus. Ex his autem, nisi fallor, apparebit, illum,

etsi populi gratia fortunaque creverat, tamen nec prudentia civili valuisse et commoda reipublicae temere projecisse ob nimium otii et securitatis studium (Thuc. V, 16). Haec causa fuisse videtur, cur Aristophanes, ubicumque pacem celebret, Niciam ne nominet quidem ac primarium pacis suasorem silentio ceteroquin mirabili premat. Quare libenter equidem huic Hermanni ¹⁾ sententiae subscribo: „Ut ex *Equitum* argumento efficere licet, quamvis ambo, Aristophanes et Nicias, in Cleonis odio consentirent, tamen longe diversam fuisse utriusque sententiam, sic idem opinionis discrimen de pace concilianda inter eos intercessisse, ut Aristophanes patriae tantum gratia paci studeret, Niciam contra existimaret in suam tantum et Lacedaemoniorum gratiam eam expetere. Quod ni ita fuisset, profecto mirandum foret, quomodo poëta neque in *Acharnensibus*, neque in *Pace*, neque aliis locis ubi induciarum commemoratio exstet, Niciae studia praedicarit, in *Equitibus* autem vs. 801 vel Archeptolemum quam illum appellare maluerit.” Ceterum ad reipublicae statum et diversarum gentium factionumque studia cognoscenda comici testimonium juxta Thucydidis et Plutarchi narrationes non esse spernendum, nemo non agnoscat. Nicias vero, postquam temporis opportunitatibus adjutus principatum obtinuit, insigni auctoritatis flore inde a Cleonis morte usque ad anni 420 initium gavisus est; deinde vero cito de amplis-

1) *De persona Nic. ap. Aristoph.*, pag. 32. Neque apud Diod. XII, 74, pacem memorantem Niciae mentio fit. Cf. Suidas, s. v.

simo gradu est delapsus: quod nemo sane mirabitur, qui reputet, ad principem in civitate locum retinendum nefariorumque hominum conatus reprimendos solam probitatem morumque integritatem neutiquam sufficere.

Pacis amorem Plutarchus 1) licet divinum praedicet, non tamen qualibet conditione pacem accipere civitati conducit. Ante omnia vero res postulat, ubi semel arma deposueris, ut conditionibus implendis fortiter insistatur. Utinam ne Nicias, qui pace quovis pretio sectanda patriae saluti et gloriae male consulit, ignaviae et desidia indulgens plane oblitus esset prudens illud Periclis praeceptum: *τῆς τε πόλεως ὑμᾶς εἰκὸς τῷ τιμωμένῳ ἀπὸ τοῦ ἄρχειν, ὥπερ ἅπαντες ἀγάλλεσθε, βοηθεῖν, καὶ μὴ φεύγειν τοὺς πόνους ἢ μηδὲ τὰς τιμὰς διώκειν* (Thuc. II, 63), i. e. „docet vos dignitatem, quam respublica propter imperium adepta est, qua vos omnes gloriamini, tueri nec propterea labores defugere vel neque honorem et gloriam consecrari.” Sed ne praepostere agamus, ad historicam rerum expositionem revertamur.

Per primum belli Peloponnesiaci decennium, vulgo bellum Archidamicum dictum, ut ab utraque parte summa virium contentione et immani crudelitate dimicatum est, ita ancipites belli casus et fortunae vicissitudines in alterutra civitate saepius excitarunt pa-

1) *Comp. Nic. c. Crass. c. 2*: *Ὁ μὲν γὰρ τῆς εἰρήνης ἕρος θεῖος ἦν ὡς ἀληθῶς, καὶ τὸ λῆσαι τὸν πόλεμον Ἑλληνικώτατον πολιτεύμα.* Quibus opponi potest hoc Ennii dictum apud Cic. *de Off. II, 18*:

Benefacta male locata malefacta arbitror.

cis desiderium, cui tamen pangendae, si annuas inducias excipias, obstiterunt contraria hostium studia in rebus prosperis certamen ad adversariorum interuentionem persequentium, sicuti Aristophanes in *Pace* significat 1). Ne autem credamus, pacem anno 421 initam solius Niciae opera atque auctoritate factam esse, indicia conquirere lubet, e quibus appareat, quando tum Athenis tum Spartae factio civium paci studentium exstiterit, quoque modo haec paullatim viribus et auctoritate increverit.

Primum hic in censum venit Atheniensium legatio, quae secundo belli anno Lacedaemonem missa, populo agrorum devastatione pestilentiaque presso (Thuc. II, 59 et supra pag. 39), pacem frustra petiuit. Quum vero civium animos ob praesentia mala fractos Pericles oratione sua continuo crexisset, non amplius legatos Lacedaemonem miserunt, sed communi studio in bellum incubuerunt (II, 65). Certa quaedam factio, quae bellum detestata Graeciae reconciliandae occasionem sedulo aucuparetur, serius demum exstitit. Hujus vestigia primum reperiuntur in Aristophanis fabula, quae *Acharnenses* inscripta anno 425 ineunte

1) *Pac.* vs. 212 sqq.:

καὶ μὲν οἱ Λακωνικοὶ
ὑπερβάλλοιτο μικρόν, ἔλεγον ἂν ταδί·
Ναὶ τὰ σιῶ, γῆν ἄττικίον δώσει δίκην. —
εἰ δ' αὖ τι πράξαντ' ἔγαθόν ἄττικωνικοί,
κἄλθοιεν οἱ Λάκωνες εἰρήνης πέρι,
ἔλεγετ' ἂν ἡμεῖς εὐθύς Ἐξαπατόμεθα,
γῆ τῆν Ἀθηναίων γῆ Λι', οὐχὶ πειστέον
ἤξοιτο καὶθεὺς. ἦν ἔχομεν τῆν Πύλον. —

per Lenaea 1) Athenis acta est. Quum enim annuae praedationes mercaturae, agriculturae, opificiis, nocerent atque partim e morum licentia partim ex vitae urbanae angustiis egestas et miseria orerentur, acre pacis desiderium nonnullos cives invasit 2). Nempe optimatum et agricolarum majorem partem bellicosis Cleonis consiliis adversam pedetentim in stabilem factionem coaluisse, colligi potest ex *Acharnensium* initio. Ibi poeta Dicaeopolis persona eos significat, qui quondam Periclis hortatu ex agris in urbem traducti jam vitae rusticae quietem ac delicias requirebant, ambitiosos oratores 3), imperatores bellicosos 4), sycophantas 5) oderant nec quidquam magis optabant quam ut, vel invitis ceteris civibus, suo arbitrio foedus cum Spartanis inire et pacis dulcedine frui possent. Attamen Cleonis potentia et auctoritas major erat, quam ut multitudo miserarium et damnorum, quae diu gravia perpessa erat, immemor ducem suum de-

1) Vidd. *Acharn.* ἐπόθεως et C. O. Müller, *Gesch. d. Griech. Litt.* II, pag. 220.

2) Cf. F. Kortüm, *Gesch. Griech.* I, pag. 493.

3) Vs. 37 sqq.:

νῦν οὖν ἀτεχνῶς ἤνω παρεσκευασμένος
βοῶν, ὑποκορβεῖν, λοιδορεῖν τοὺς ῥήτορας,
ἐάν τις ἄλλο πλὴν περὶ εὐρήνης λέγῃ.

Porro animadvertenda sunt opprobria, quibus Cleonem vs. 6 et 300, Hyperbolum vs. 845 sq., aliospoëta passim insectatur.

4) Duceum bellicosorum imaginem refert Lamachus, qui ut unus omnium instar irridetur. Cf. vs. 566—621 et passim. Huic autem invectioi ipsum nomen *Ααμάχου* praeter alia ansam dedisse suspicanti Müllero facile assentior, quum alioquin Phormio, Demosthenes, Paches, alii aequo jure in scenam producti essent. *Gesch. d. Griech. Litt.* pag. 226.

5) Vss. 517—522, 817—828, 909—957.

sereret et poëtae consilia amplecteretur. Quid? Ne ultro quidem oblatam a Lacedaemoniis eodem anno pacem, ut supra vidimus, acceperunt, sed Cleoni morem gerentes Sphacteriae expugnationem strenue persequi maluerunt. Quod quum praeter exspectationem iis cessisset, tantos sumserunt spiritus, ut secundum Aristophanem *Pac.* vs. 667 1) ter conditiones pacis repudiaverint, confisi fore ut, quamdiu Spartanos captivos in vinculis retinerent, quandocumque vellent, foedus impetrare possent (Thuc. IV, 21 et Arist. *Pac.* vs. 219). Importuna sane fuit ista pertinacia, qua honestam belli componendi occasionem superbe contemserunt. Nec tamen spes eos plane fefellit. Etenim apud Spartanos ab eo inde tempore perpetuum fuit pacis desiderium, quum et amissa Pylo ingentem jacturam fecissent et captivorum manum nobilissimis viris constantem (Thuc. V, 15; Plut. *Nic.* 10) recipere ante omnia cordi haberent. Itaque quum Athenienses sequenti anno apud Delium gravi clade affecti ob adversam fortunam spiritus submittere coepissent, Nicias tempus adesse vidit, quo et sibi et patriae diu optatam quietem parare posset. Accedebat, quo magis eo inclinarent Athenienses, Brasidae metus, qui ipsorum socios abalienare non cessaturus erat, priusquam omni

1) Non opus est neque placet recipere explicationem Scholiastae, qui ad h. l. haec adnotat: τοῦ ἐπιστάτου τρίτον ἐρωτήσαντος τὴν βουλὴν τί βούλεται, εἰρήνην ἢ πόλεμον, εἴλετο ἡ βουλὴ τὸν πόλεμον συνεστάναι, quasi in uno conventu de eadem re ter decretum sit. Thucydides enim IV, 41 narrat: οἱ δὲ (Ἀθηναῖοι) μειζόνων τε ἀρέγοντο, καὶ πολλὰς φοιτῶντων (scil. τῶν Λακεδαιμονίων), αἰτούς ἀπράντους ἀπέπεμπον.

cura et integris viribus se ad hoc bellum parassent (Thuc. IV, 117). Ob has igitur causas haud mirum anni 423 initio, mense Martio, inducias annuas compositas esse ¹⁾, adjecta propter rogationem a Lachete latam hac clausula, ut interim legati atque caduceatores convenirent deliberaturi, qua ratione bellum in perpetuum componeretur.

Quod tamen decretum ob sequentes simultates ratum numquam fuisse e Thucydidis verbis colligit Grotius, pag. 618. Perperam, opinor. Hic enim scriptor IV, 119, diserte dicit: *ἡ μὲν δὴ ἐκχειρία αὐτῆ ἐγένετο, καὶ ξυνήσαν ἐν αὐτῇ περὶ τῶν μαιζόνων σπονδῶν διὰ παντὸς ἐς λόγους*, i. e. per omne induciarum tempus in colloquium venerunt de majori foedere ineundo. Idem autem V, 15, ad eandem pactionem respiciens dicit: *ποιοῦνται τὴν ἐνιαύσιον ἐκχειρίαν, ἐν ᾗ ἔδει ξυγιόντας καὶ περὶ τοῦ πλείονος χρόνου βουλευέσθαι*. Quae verba cum priore loco sic concilianda sunt, ut *ἔδει* non accipiatur de eo quod fieri oportuisset, non vero factum esset, sed hoc sensu: „fecerunt tum annuas illas inducias, per quas oporteret de longioris temporis foedere deliberare.” Idem vir doctus Niciam ejusque collegas acriter vituperat, propterea quod illi, Periclis belli gerendi consiliis spretis, non res fractas armis restituere conati sint, sed immoderato pacis amore capti arma deponenda iniquo tempore curaverint. At enim tempora et cum tem-

1) De quibus agunt Thuc. IV, 117—119, Plut. *Nic.* 9 et Diad. XII, 72, tacet contra Aristophanes, ut videtur, ob fidem male servatam. Cf. G. Grote, VI, pag. 586—598 et Kortüm, l. l. pag. 504.

poribus animi erant mutati. Periclis aetate bellica fortitudo nondum eum in modum fracta erat, ut post cladem Deliacam victoriasque a Brasida in Thracia reportatas factum est. Ab hoc inde tempore cives non nisi aegre adduci poterant, ut adversus Brasidam militatum proficiscerentur (Thuc. V, 7). Atque Brasidae tanta erat virtus inque subditos auctoritas, ut armis eum ex Thracia depelli posse parum probabile videretur, quum praesertim ducum Atheniensium vix ullus huic par duceretur. Quam ob causam induciae unica tunc erant via, qua quis Atheniensibus et amissa recuperandi et vires reficiendi occasionem praebere posset. Dubito equidem, num Periclis consilia sequi illo tempore civitati conduxisset.

Pro parte jam exposuimus, quam parum annuae illae induciae servatae fuerint, quum ipse Nicias, adversariis morem gerere coactus, arma in Thraciam inferre debuerit. Vidimus quo successu idem, duabus urbibus rebellibus sub Atheniensium potestatem denuo redactis, patriae splendorem ac potentiam in istis regionibus instauraverit. Elapso vero induciarum tempore, Cleon civibus persuasit, ut nova vi bellum in Thracia renovarent (Thuc. V, 2 sqq.); ipse cum exigua copiarum manu eo profectus est, sed expeditionis eventus parum gloriosus coecae ejus audaciae quam meruit poenam infixit. Etenim post Toronem captam cum Brasidae copiis manum conseruit prope Amphipolin, quo proelio (Thuc. V, 10; Diod. XII, 72—74) Athenienses fusi fugatique sunt, caesis praeterea ambobus imperatoribus, Brasida et

Cleone, belli istis *δοιδυξιν*, ut appellantur a comico 1). Ita rerum status in Graecia plane conversus est. Brasidae mors quanto Athenis fuit gaudio quantumque amissionem sexcentorum gravis armaturae militum lenivit, tantum Spartaē attulit luctus et desperationis: quo cupidiores etiam facti sunt captivorum pacta pace recuperandorum. Quodsi tum Athenienses *οὐκέτι τῷ πολέμῳ θαρόουντας* (Plut. *Nic.* 9) *καὶ οὐκ ἔχοντας τὴν ἐλπίδα τῆς ῥώμης πιστὴν ἔτι* (Thuc. V, 14) a desidia revocare novaque spe animare potuisset sive Nicias sive alius quis princeps civitatis, ut periti ducis auspiciis valido cum exercitu Thraciam peterent, meliore, ut opinor, belli fortuna usi essent et, imperio restituto, multo majora a Spartanis flagitare potuissent.

At pacis deliciis semel gustatis (Plut. *Nic.* 9 et Thuc. IV, 117) utraque civitas otium et quietem adamare coeperat. Spartaē prae ceteris optabant pacem tum cognati et amici eorum, qui adhuc Athenis in vinculis retinebantur, tum reliquorum civium magna pars, belli laboribus defessa et de futuris sollicita, tum vero ephori illius anni et, qui apprime in censum venit, rex Pleistoanax 2). Athenis autem factio pacis studiosa, nullis jam impedimentis retenta, animorum diffidentia augenda summam in urbe auctoritatem

1) Vid. Aristophan. *Pac.* vs. 295. Thucydidis de iis iudicium legitur V, 16 et alibi. Quod autem ad Cleonem attinet, cum belli alendi ignominia absolvere et in honorem prope omni ex parte restituere mea opinione frustra studere Grotium, indicavi supra pag. 36. Cf. Plut. *Nic.* c. 9; *Comp. N. c. Cr.* 3.

2) Causam, cur paci componendae ille adeo faverit, ample exponit Thuc. V, 16 et 17 init.

nacta est. Hujus factionis princeps Nicias, *τοτε σπεύδων τὰ μάλιστα τὴν ἡγεμονίαν* (Thuc. V, 16), id egit, ut verbis Plutarchi in vita c. 9 utar, *ὅπως εἰς φιλίαν τὰς πόλεις συναγαγὼν, καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ἀπαλλάξας κακῶν καὶ ἀναπανσάμενος, βέβαιον οὕτω τὸ τῆς εὐτυχίας ὄνομα πρὸς τὸν αὐθις χρόνον ποιοῖτο* 1). Nempe cum Spartanorum magistratibus et principibus viris per hiemem sermones conserens spem iis dedit optimam atque adhortatus est, ut in concilianda pace omnem curam diligentiamque ponerent. *Οἱ δ' ἐπίστευον αὐτῷ διὰ τε τὴν ἄλλην ἐπιείκειαν, καὶ ὅτι τοῖς ἠλωκόσι περὶ Πύλον καὶ δεδεμένοις, ἐπιμελόμενος καὶ περιέπων φιλανθρωπῶς, ἐλαφροτέραν ἐποίει τὴν ἀτυχίαν.* Ita Niciae Laconismus viam ad Spartanorum benevolentiam ei aperuit. Civium vero mentes quantum potuit a bello avocavit pacavitque tam ipse quam factionis suae ope, quae constabat partim hominibus opulentis et senioribus, partim rusticorum multitudine, cui nihil optatius erat, quam ut pace constituta urbem relinquere liberamque in agris vitam agere possent.

Neque parum momenti ad id officendum attulit Aristophanis fabula *Pax* inscripta. Quae comoedia per Dionysia magna anni 421 acta idem sibi proponit atque *Acharnenses*, ut pacis desiderium inter cives aleretur; tantum interest, quod in *Pace* desiderium istud latius patere et ad plures pertinere fingitur:

1) Animadversione dignus est consensus inter hunc Plutarchi locum et Thuc. V, 16, ubi Niciae rationes pacis persequendae explanari supra docuimus pag. 35.

ideo chorus compositus est ex agricolis multisque aliis hominibus paci studentibus 1). Favent paci rustici, mercatores, fabri, opifices, inquilini, hospites, insulani 2); adversantur juvenes munera militaria affectantes, armorum fabricatores e bello quaestum facere soliti (vss. 444 – 450), servi fugitivi, tum Lamachus (vss. 304, 473, 1292), Pisander (vs. 395), alii 3). Comicus omnem boni eventus honorem agricolis tribui vult (vs. 511); sed immerito: magnam enim operis partem perfecit, ut vidimus, Nicias, a poeta silentio praeteritus.

Hic autem oritur quaestio, ob testimoniorum penuriam satis difficilis dijudicatu, utrum Nicias ipse per se consilia sua perficere studuerit an selectorum civium quorum opera uteretur sodalitiū (*ἐταιρεία*) conciliaverit. Nemo antiquorum de tali sodalitiū, cujus caput Nicias fuerit, disertis verbis loquitur, quamquam recentiores nonnulli indicia ejus rei, etsi subobscura, reperire sibi videntur. Tecta istiusmodi agendi ratio pavidae quidem ducis naturae consentanea erat; attamen in communi pacis desiderio tali praesidio ei non opus fuisse ad rem peragendam apud me quidem constat. Praeterea vero, quod in primis tenendum, quam

1) C. O. Müller, l. l. pag. 289 sq.

2) Trygaeus chorum ita alloquitur, vs. 296 sqq.

ἀλλ', ὃ γεωργοί, κἄμποροι, καὶ τέκτορες,

καὶ δημουργοί, καὶ μέτοικοι, καὶ ξένοι,

καὶ νησιῶται, δεῦρ' ἔν', ὃ πάντες λεῶ.

3) Inter quos ab Aristophane vs. 1048 sqq. Hieroclem, vatem ex Bocoῖa, censeri parum consentaneum videtur Roschero, l. l. pag. 420, not. 3.

Nicias sectatus est reipublicae administrandae rationem, eam comparare non licet cum posteriorum oligarchorum machinationibus formam civitatis vi subvertere molientium 1).

Cum deinde post multa ultro citroque postulata convenisset, ut pax fieret ea conditione, ut utrique redderent ea quae bello cepissent, Lacedaemonii, adsentientibus sociis, praeter Boeotos, Corinthios, Eleos et Megarenses, (his enim quae fiebant haud placebant) bellum componendum decreverunt, et sub finem mensis Martii 2) anni 421 cum Atheniensibus in quinquaginta annos foedus icerunt, in quod ab Atheniensium parte juraverunt XVII viri primarii (Thuc. V, 19). Horum nomina ordine enumerare supervacaneum ideo puto, quoniam plerique non aliunde noti sunt, alii vero nonnisi hac opportunitate conjunctim cum Nicia egisse videntur 3). Neque in singulis pacis conditionibus explicandis morabimur praesertim post ea quae Grotius, vol. VI, pag. 674 sqq. de hisce exposuit secundum Thuc. V, 18.

Jam vero pactum erat, ut, utri priores redderent ea quae bello occupassent, sorte decerneretur. Sortem autem pecunia clam corrupisse Niciam coque effecisse,

1) Cf. Droysen, *üb. Aristoph. Vögel u. d. Hermokopiden*, Rhein. Mus. vol. IV, pag. 41; W. Vischer, *die oligarch. partei*, pag. 15; Büttner, l. I. pag. 55; Hertzberg, l. I. pag. 89.

2) Cf. Krüger ad Clinton. *Past. Hell.* a. 421. At m. Aprilis anni Juliani diem X vel XI censent esse Dodw. in *Annal. Thuc* et *Clariss. Spec.* p. 63 al., quia hic annus intercalaris fuerit. Cf. Roscher, l. I. pag. 458 et Kortüm, pag. 506.

3) Breviter de iis agit Roscher, l. I. pag. 419 sq., qui tamen similitudine nominum ductas plura refert quae non firmis argumentis nituntur.

ut Lacedaemonii priores redderent, auctor est Theophrastus apud Plutarchum c. 10. Cujus tamen narrationi fidem habere non possum, propterea quod sortis illud beneficium Nicias plane neglexit eoque probavit se pretium ejus rei parum perspexisse ¹⁾. Quum enim Lacedaemonii, captivis omnibus confestim redditis et legatis in Thraciam missis, a Clearida impetrare non potuissent, ut Amphipolin Atheniensibus redderet, socii vero, qui foederis leges non admisissent, domum reversi has iterum rejecissent (Thuc. V, 21, 22), Nicias gravem errorem commisit eo, quod, etsi Spartanorum vel perfidiam vel infirmitatem nosset, tamen civibus suis suasit, ut paullo post ²⁾ seorsim foedus cum Spartanis pangerent, quo prius inita pax quasi confirmaretur (Thuc. V, 23, 24; Diod. XII, 75; Plut. *Nic.* 10). Ita sortis beneficium amissum idque unum Atheniensibus impetratum, ut ne arma resumta sint. Contra captivi ex Sphaacteria, qui Spartanis per quatuor annos primaria pacis faciendae causa fuerant, redditi sunt, quo Atheniensis respublica haud exiguum cepit detrimentum.

Nihilominus, pace constituta, gaudium Athenis ingens fuit, plerisque opinantibus in longum tempus civitatem malis liberatam fore. Nicias in ore erat omnium, tamquam homo diis carus, cui divinum numen propter pietatem concessisset, ut nomen suum copularet cum beneficiorum omnium maximo ac pulcerrimo.

1) Cf. Thirlw. *Hist. of Gr.* III, p. 308.

2) Intra duos menses post priorem pacem sancitam. Cf. Grote, I. I. et Kortüm, I. I. pag. 508.

Revera enim Niciae opus putabant pacem, ut bellum Periclis (Plut. *Nic.* 9; cf. *Alc.* 14). Hic ob exiguas causas in magnas difficultates implicuisse Graecos credebatur, ille vero persuasisse, ut reconciliatis animis maxima mala obliviscerentur. Quare pacem illam etiam nunc vulgo *Νικίειον* vocant, e qua auctori apud hostes cunctosque Graecos summa admiratio, inter cives honor singularis contigit. An merito, dubitari licet 1). Etsi enim infitiamur, Niciam omnem operam impendisse paci componendae, hic tamen ea re suae magis securitati consuluit quam patriae saluti, cujus commoda mirum quantum neglexit, hostium voluntati obsequendo promissisque stulte fidem habendo. Porro tenendum, praeter Niciam Lachetem quoque, qui item Lacedaemoniis gratus erat, multum contulisse ad opus perficiendum, quare aequum fuisset, si gloriae ejus pars etiam in hunc redundasset (Thuc. V, 43).

Nec tamen pax illa satis habuit roboris, ut per statutum tempus servari aut, quae promiserat, praestare posset. Scilicet firmis destituta fundamentis neque flagrantes simultates exstinxit neque gravissimas controversias diremit, contra ignes reliquit multos „suppositos cineri doloso”. Itaque Thucydides merito censuit V, 26, falli, si quis pacis hujus, quam

1) Niebührius, l. l. pag. 100, ita judicat: »Diese Umstände führten zum Frieden des Nikias, welcher seinen Namen mit Recht führt, denn Nikias gebührt das Verdienst, er betrieb ihn ganz. Er scheint das Vertrauen der Spartaner besessen zu haben, wie früher Kimon. Er mag, wie dieser, der einzige Athener gewesen sein, dem die Spartaner traute, und der ihnen wohl wollte.” Ultima haec quatenus parum accurate dicta sint, in textu videbimus.

ὕλοπτον ἀνακοχήν vocat, spatium bello non adnumerandum putet. Etenim specie modo pax fuit, quatenus ad sex annos decemque menses 1) utriusque populi sibi temperarunt ne alteri in alterorum agros invaderent, sed extra utriusque agri fines maximis se invicem detrimentis affecerunt. Fuit potius tempus viribus ad bellum reparandis omni cura impensum.

Societatum autem maxima orta est perturbatio ex eo quod Lacedaemoniorum sociis prae ceteris displicebat illud foederis additamentum, quo Spartanis et Atheniensibus concessum est, ut quaecumque postea minus probaturi essent, ea vel addendis conditionibus vel detrahendis mutarent. Primaria tamen belli paullo post renovandi causa fuit, quod Niciae ejusque factionis auctoritas fracta est ab Alcibiade, acerrimo belli concitatore, de cujus machinationibus jam deinceps exposituri sumus.

§ 2.

Alcibiadis machinationes ad bellum instaurandum.

Pax Niciae, etsi plerisque Atheniensibus grata, nonnullorum tamen, ut vidimus, ingratis erat inita. Etenim ipsis etiam malis homines vulgo assuescere solent; tum reperiuntur fere nonnulli, qui e ceterorum

1) Krügerus tamen ad Clinton. *Fast. Hell.* a. 414 contendit, ambos populos inimicitias abstinuisse inde a mense Martio anni 421 ad mensem Julium 415.

incommodis sibi vitae subsidia vel emolumenta quaerunt. Quid igitur mirum, si armorum fabricatores et quotquot vel lucri vel gloriae vel potentiae avidi re bellica quaestum fecissent, renovando bello studuerunt? Etiam in principum virorum numero erant, qui non nisi inviti paci aut subscripsissent aut ad eam se accommodassent. „Quae si firma ac stabilis fuisset, facile vulnera, quae sibi ipsa infixerat Graecia, consanuissent, quae novo, quod mox exortum est, bello facta sunt insanabilia” 1). Sed satis de ipsa pace: nunc causas, quae mox secutam rerum conversionem et simul Niciae casum repentinum attulerunt, ordiamur. Prius autem attendamus ad statum reipublicae Atheniensis, quaenam tum domi esset partium dissensio, quinam principes viri, qui praesentem rerum statum exosi contraria Niciae ejusque factioni molerentur, ut deinde demonstramus, qui factum sit, ut fallaci illo suspectoque foedere belli ignes in sociis civitatibus suscitati hinc ad ambo belli capita translati sint.

Reputantibus quinam Athenis fuerint qui in pacem jurarunt, occurrunt Demosthenes et Lamachus, duces ad rem militarem apti et belli gerendi cupidi. Horum alter quum Pyli tum plurimis aliis locis splendida virtutis documenta dederat 2); alterius bellicosam indolem ridet Aristophanes 3) ejusdemque res strenue gestas enarrat Thucydides IV, 75; VI, 8, 49,

1) C. G. Krüger, *Commentatt. crit. et histor. subject. Dionys. Hal. Historiogr.*, pag. 246.

2) Cf. Thuc. III, 94-98; passim.

3) Vid. supra pagg. 61 et 67.

50, 101. Uterque eorum temporum gratia Niciae quidem morem gesserat, sed fieri non poterat, quin ipsis, si novus gloriae campus aperiretur, intolerabile videretur otium diuturnum. Inter Niciae adversarios autem, qui eo tempore rempublicam simul capessabant, prae ceteris censendi sunt Hyperbolus et Phacax, quorum tamen neuter tantum umquam valuit gratia, ut Niciae auctoritatem posset labefactare. Hyperbolum, *μοχθηρόν άνθρωπον* a Thucydide VIII, 73 vocatum, „cujus improbitatem veteres Atticorum comediae notaverunt” 1), post Cleonis mortem cupido ceperat interruptam hujus demagogiam suscipiendi. Hic humili loco natus — ipsa ejus origo Attica in dubium vocabatur — initio rei pecuniariae deditus, lucernis fabricandis lucrum ingens, quamvis non semper honestum 2), fecerat. At mortuo Cleone, cujus consiliis verosimiliter jam antea inservierat, hujus locum vacuefactum occupare conatus est (Schol. ad Arist. *Nubb.* 626; *Pac.* 680), nullis aliis artibus nisi immoderata temeritate lasciviaque insignis, et raro insuper contemptu quaelibet comicorum opprobria spernere solitus. Talis autem homo ne apud populum quidem um-

1) Cic. *Brut.* c. 62. Cf. Plut. *Alc.* c. 18 et Hertzberg, l. l. pag. 77. Aristophanes et Cratinus passim in hunc invecti sunt, Eupolis vero in *Marica* et Plato in *Hyperbolo* data opera demagogum carpsit. Cf. Th. Bergk, *Commentatt.*, pag. 355 sqq. et Roscher, l. l. pag. 298. Porro de eo scripserunt praeter alios Wachsm. *Ant. Gr.* I, pag. 622 ed. sec.; Tittm. *Gr. Staatsv.*, p. 341; Kortüm, *Hell. Staatsv.*, p. 177; W. Vischer, *Alcib. u. Lys.*, pag. 22; G. Grote, VII, pag. 145.

2) Hoc indicant Scholia ad Arist. *Nubb.* 1061. Cf. *Nubb.* 551 sqq., 620 sqq., 874, 1060 sqq.; *Eqq.* 1300 sqq., 1360; *Thesmoph.* 847 sqq.

quam in aliquo honore fuit, sed ἀπ' οὐδεμιᾶς τολμῶν δυνάμεως, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τολμῶν εἰς δύναμιν προελθῶν, καὶ γενόμενος, δι' ἣν εἶχεν ἐν τῇ πόλει δόξαν, ἀδοξία τῆς πόλεως (Plut. *Nic.* c. 11), hic igitur, dedecus civitatis, cunctis aequè civibus displicebat, quamquam ejus opera saepe utebatur populus, ut cives nobiliores injuriis et criminationibus vexaret (Plut. *Ale.* c. 13). Tandem sicut fructus maturus decidit, simul atque principum Atheniensium negotiis audacter se immiscere ausus est (cf. infra pag. 83) 1). Alter Niciae aemulus, Phaeax Erasistrati filius, nobili genere ortus (Plut. *Ale.* c. 13), populi gratiam captando summum in civitate locum affectavit. Etsi anno 422 legatus in Siciliam et Italiam missus utilem operam reipublicae praestitit 2), aemulo tamen parum metuendus fuit, quum dicendi facultate inferior in concionibus semper impar esset adversariis, quare ab Eupoli in *Demi* fragmento VIII (vid. edit. Meinekii, II, pag. 471) dicitur

λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν 3).

Eundem ludit Aristophanes *Eqq.* vss. 1376—1380:

Σοφός γ' ὁ Φαίαξ, δεξιῶς τ' ἐμάνθανε
 ξυνεργητικὸς γάρ ἐστι καὶ περραντικὸς,
 καὶ γνωμοτυπικός, καὶ σαφής, καὶ κρουστικός,
 καταληπτικός τ' ἄριστα τοῦ θορυβητικοῦ.

1) In iis, qui ἐξ ἀσέμων περιφανεῖς γεγονάσι eum enumerat Aelian. *V. H.* XII, 43. Cf. etiam Theopompi *fragm.* 102, 103 ed. Didot.

2) Thuc. V, 4, 5. Cf. Hertzberg, l. l. pag. 86, qui ita de viro loquitur: „Jedenfalls war er nur eine bald vorübergehende Erscheinung.“

3) De Phaeacis eloquentia eff. Ruhnkentius, *Hist. crit. orat.*, p. 51 et Th. Bergk, *Commentat.*, p. 337 sq.

Itaque Hyperbolus quidem et Phaeax non multum molestiae facere Niciae potuerunt, magis vero eidem metuenda fuit crescens Alcibiadis auctoritas. Quam descripturus Plutarchus haec praemonet in vita *Niciae* c. 9: οὐδ' ἀπαλλαγείς τοῦ Κλέωνος ὁ Νικίας καιρὸν ἔσχε παντάπασιν ἀναπαῦσαι καὶ καταστρέψαι τὴν πόλιν· ἀλλ' εἰς ὁδὸν τὰ πράγματα καταστήσας σωτήριον, ἐξέπεισε, ῥύμη καὶ σφοδρότητι τῆς Ἀλκιβιάδου φιλοτιμίας αὐτοῖς ἐξώσθεις εἰς τὸν πόλεμον. Cujus quidem singularis viri imaginem adumbrare post eximia Vischeri, Hertzbergii, aliorum scripta animus non est; reputasse sufficiat, quanta in Alcibiade natura inesset ambitio et gloriae studium, quamque acceptus idem civibus suis esset tum ob generis claritatem, divitias, naturae dotes, tum ob res bello Archidamico gestas 1): haec in memoriam revocantibus facile erit intelligere, tali homini quietam et ingloriam vitam urbanam minime ferendam visam esse. Ante pacem a Nicia factam studuerat rebus Lacedaemoniorum, confisus fore ut, si Spartanos e Sphacteria captivos officiis sibi devinxisset, antiquum quod familiae suae cum Spartanis fuerat hospitium renovaret. Qua de spe quum decidisset atque sibi a Lacedaemoniis propter adolescentiam praeferri Niciam vidisset, invidia flagrans, primo quidem Lacedaemoniorum perfidia civibus inculcanda pacem impugnaverat; sed,

1) Dind. XII, 84: ἦν γὰρ ὁ ἀνὴρ οὕτως (Ἀλκιβιάδης) δεινότατος μὲν εἶπεν τῶν πολιτῶν, εὐγενεῖα δὲ καὶ πλοῦτη καὶ σφαιρηγία διωνομισμένος.

quum id neutiquam ei cederet, futuram foederis perturbationem meditatus est ¹⁾: quae res nimium prospere ei cessit.

Jam verbo monuimus quantam in offensionem apud nonnullos Lacedaemoniorum socios pax Niciae esset adducta. Megarenses quippe aegre ferebant, quod Nisaea, ipsorum portus, Atheniensibus tradita erat; Bocotos autem Panactum restituere iis noluisse verisimile est (Thuc. V, 39). Corinthii vero et Elei probare foedus non potuerunt, illi quod colonias suas, Sollium et Anactorium, amiserant (c. 30); hi quod non negligi, sed vexari et opprimi se a Lacedaemoniis querebantur (c. 31). Itaque confestim sociorum conspiratio adversus Lacedaemonem conflata est. Corinthii Argivos principatus obtinendi spe ad novam Spartanis infestam societatem conglutinandam instigarunt (c. 27, 28). Argivorum causam Mantineenses eorumque socii (c. 29), Elei, Corinthii, Chalcidenses deinceps amplexi sunt, at Boeoti et Megarenses rejecerunt, quod popularem Argivorum statum sibi, qui paucorum potestate regerentur, minus quam Lacedaemoniorum aristocratiam putabant favere (c. 31) ²⁾.

1) Cf. Thuc. V, 43; Plut. *Nic.* 9, 10; *Alc.* 14, quo loco Plutarchus ipsum Alcibiadem Lacedaemoniorum *περόξενον* fuisse perperam refert. Cf. porro Isocr. *de Bigis*, § 27—30.

2) Thucydides ibi dicit: *Βοιωτοὶ δὲ καὶ Μεγαρήϊς τὸ αὐτὸ λέγοντες ἡσυχάζον, περιορῶμενοι ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων, καὶ νομίζοντες κ. τ. λ.* Verbum *περιορῶμενοι* interpp. male habuit. Vidd. Poppo et Krüger ad h. l.; Haase, *Lucubr. Thuc.*, pag. 108. Mihi quidem G. Grotii interpretatio VII, pag. 23 prolata maxime arridet, nisi quod *ἡσυχάζον* significare mihi videatur *neutrarum partium esse*. Igitur, duabus causis allatis, historicus significat.

At ipsi quoque Athenienses et Lacedaemonii sibi invicem suspecti esse coeperunt, quod, tota aestate vanis colloquiis ea de re consumpta, neutri agros ex pacto restituerant. Quum autem Lacedaemonii, creatis aliis ephoris, quorum in numero erant Cleobulus et Xenares, bellicosi homines, clam societatem cum Boeotis iniissent et Atheniensibus Panactum eversum offerrent ea conditione, ut Pylus sibi redderetur, tunc vero Athenienses graviter indignati tam ob haec quam ob alia, quae Lacedaemonii non ex pacto fecissent, fraude se circumventos existimarunt. Quare legatos cum asperiore responso dimiserunt (Thuc. V, 42).

Optatissimum hoc Alcibiadi, qui statim oblatam sibi occasionem propositi perficiendi summo studio arripit. Spargendis criminationibus civium animos magis magisque ad iram adversus Spartanos inflammat. Niciam quoque calumniis insectatur, quia hostes in Sphacteria interclusos imperator noluisset debellare eosdemque postea ab aliis debellatos et captos rursus dimisisset Lacedaemoniis gratificaturus. Praeterea ei objecit quod Spartanos non avocasset a societate cum Boeotis et Corinthiis facienda, contra cum Atheniensibus nullam civitatem, invitis Lacedaemoniis, amicitiam societatemque inire sivisset 1). Scilicet bene perspec-

Boeotos et Megarenses neque Lacedaemoniorum Atheniensiumque societatem amplexos esse, quia Lacedaemonii ipsorum *nullam rationem habent* (cogita de legatione Corinthum missa c. 30 init.), neque Argivorum, quia popularem horum statum aversarentur. Ceterum Diodorus XII, 75 perperam Thebas recenset inter civitates Argivorum societati adscriptas.

1) Plut. *Alc.* 14. Cf. ejusdem *Nic.* 10. Vix opus est monere, me alteri

tum habebat, nisi civium animos a Nicia abalienasset, neminem Athenis quicquam adversus Lacedaemonem facile moliri posse. Quum igitur his accusationibus effectum esset, ut Nicias apud multitudinem male audiret, Alcibiades, qui jam pridem principibus Argivorum, quorum familiaritate utebatur, spem fecerat fore ut, dissoluta Lacedaemoniorum societate, Athenienses cum Argivis paciscerentur, aestate anni 420 horum legationem una cum legatis Mantineensium et Elcorum sua sponte Athenas arcessivit et hospitio excepit. At eodem tempore cum bona Niciae gratia aderant legati Lacedaemone missi, qui *αὐτοκράτορες* quidquid supercesset controversiarum dirimerent. Quos Alcibiades per dolum ¹⁾ a Nicia avocatos ad suas partes traxit, deinde vero in populi concionem productos turpiter decepit; qua fraude omnis legatio irrita facta est. Res pulchre descripta legitur apud Thucydidem V, 45, et apud Plutarchum in *Nic.* 10 et in *Alc.* 14 ²⁾.

harum accusationum capiti facile subscribere. Quod vero ad societatem Lacedaemonios inter et Boeotos atque Corinthios Cleobuli praesertim et Xenaris opera constitutam attinet, hujus conscium fuisse Niciam probabile non est.

Atheniensium autem neminem probasse rationem ab Alcibiade initam affirmat Plut. *Alc.* 15: *Καὶ τὸν μὲν τρόπον οὐδεὶς τῆς πράξεως ἐπήρει.*

1) Audi Plutarchum in *Comp. Alc. c. Coriol.* 2. *Μάλιστα δὲ κατηγοροῦσιν αὐτοῦ κακοήθειαν καὶ ἀπάτην, ἣ τὸς Λακεδαιμονίων πρόσβεις παρατροπάζοντες τὴν εἰρήνην ἔλυσεν.*

2) Vidd. Grote, VII, pag. 61—66 et Hertzberg, l. l. pag. 96—98. Quamquam haec narratio e solo Thucydide nobis innotuit, tamen de ejus fide dubitari nullo modo sinit Niebührius, *Vorträge üb. alte Gesch.* II, pag. 110. Ceterum de legationum consuetudine, qua primum adibant *τὴν βουλὴν*, haec Schoemannus, *de Comit. Athen.*, pag. 283: rexterarum civitatum legatis

In eadem concione jam in eo erat ut populus societatem cum Argivis pangeret; τὸν δὲ Νικίαν ἐκπληξίς εἶχε καὶ κατήφεια τῶν ἀνδρῶν τῆς μεταβολῆς, ἀγνοοῦντα τὴν ἀπάτην καὶ τὸν δόλον (Plut. *Ale.* 14). Fortuna vero iterum Niciae favit: namque concio, priusquam quid constitueretur, facto terrae motu 1) dissoluta est. Postero autem die apparuit, quanta esset hujus apud populum auctoritas quantumque pacis conservandae studium etiamtum Athenis esset. Namque iterum convocata concione, ille talia locutus est: „Quamvis, inquit, deceptos, tamen nos oportet cum Lacedaemoniis societatem inire, et dilato Argivorum negotio, iterum legatos Spartam mittere, qui explorent, quid in animo habeant. Bellum autem differre jubeo, quum ipsi statu utamur bono, illi ignominioso. Nam nobis quidem maxime expedit, florente republica fortunam hanc quam diutissime conservare, illis vero in afflictata re versantibus pro lucro erit, primo quoque tempore belli fortunam periclitari” 2). Persuasit deinde civibus, ut ipsum cum aliis legatis Lacedaemonem mitterent ad res componendas his conditionibus, ut primum Panactum, non eversum, sed in integrum restitutum, Atheniensibus redderent, deinde Amphipolin traderent, tum privato foederi cum Boeotis sancito renuntiarent, nisi hi pacem Atheniensium

primum ad senatum aditus dabatur; is autem cognitis mandatis eorum atque epistolis perscriptoque probulemate in concionem eos producebat.”

1) Sunt enim terrae motus in numero *δισοσμιῶν*, de quibus vid. Schoem. *Comit. Ath.*, pag. 148. Cf. Thuc. V, 50; VIII, 6.

2) Thuc. V, 46. Cf. Plut. *Niz.* 10.

amplecti vellent; de prospero autem legationis eventu nihil dubitabat. Sed spes eum fefellit. Lacedaemone etsi honorifice exceptus, ut vir probus atque civitati amicus, nihil tamen eorum quae speraverat effecit; tantum impetravit, ut Lacedaemonii foederis iusjurandum renovarent; ἔφοβεῖτο γὰρ μὴ πάντα ἀτελῆ ἔχων ἀπέλθῃ καὶ διαβληθῇ, αἴτιος δοκῶν εἶναι τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους σπονδῶν (Thuc. V, 46).

Neque vanus fuit iste metus. Namque infecto negotio Athenas reversus in acrem incurrit civium suorum vituperationem et populari favore aliquamdiu caruit: quo sane dignas luit tam segnitiae suae quam Lacedaemonismi poenas. Nec tamen gravius in Nicias animadverterunt cives quam quod illo praeterito ducem crearunt Alcibiadem, postquam Mantineenses et Eleos a Lacedaemoniis deficientes una cum Argivis in centum annorum societatem recepissent 1). Quo factum est, ut Nicias primas Alcibiadi cedere coactus aliquamdiu de scena discesserit, quamquam ne his quidem casibus ejus auctoritatem prorsus fractam esse postmodo apparuit. Tantum enim abfuit, ut bello in Peloponneso Alcibiadis auspiciis instaurato, Nicias ad vitam privatam relegatus in oblivione delituerit, ut contra, quum Alcibiades infeliciter rem gessisset, accepta gravi clade apud Mantineam anno 418 2), ille denuo imperio ornatus sit. Aestate enim anni 417, quum jam priore anno alii ejusdem factionis prin-

1) Foederis verba leguntur apud Thuc. V, 47.

2) Vidd. Thuc. V, 52—55; 61—74; Plut. *Alc.* 15; Diod. XII, 78, 79.

cipes, Lachetem dico et Nicostratum, Argivis auxilio missi essent (Thuc. V, 61; Diod. XII, 79), Nicias dux praefectus est copiis in Thraciam mittendis; de qua tamen expeditione nihil fere proditum exstat 1). (Off. interpp. ad Thuc. V, 83).

Sed eodem, ut videtur 2), anno paullo ante aliquid acciderat, quod vigentem adhuc Niciae auctoritatem ostendit. Nempe, suadente Hyperbolo, ostracismo certatum est de cive, cujus potentia metuenda videretur, in decem annos a republica removendo. In censum prae ceteris veniebant Alcibiades et Nicias, quippe qui tunc fama et auctoritate praecipue eminent. Τοῦ μὲν γὰρ Ἀλκιβιάδου καὶ τὸν βίον ἐβδελύττοντο καὶ τὸ θράσος ὠρῶδον, ὡς μάλλον ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφομένοις δηλοῦται τὸν δὲ Νικίαν ὃ τε πλοῦτος ἐπίφθονον ἐποίει, καὶ μάλιστα τῆς διαίτης τὸ μὴ φιλόανθρωπον μηδὲ δημοτικὸν ἀλλ' ἄμικτον καὶ ὀλιγαρχικὸν ἀλλόκοτον ἐδόκει. Πολλὰ δ' ἤδη ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτῶν ἀντιτείνων παρὰ γνώμην καὶ βιαζόμενος πρὸς τὸ

1) G. Grote, VII, pag. 141—144 expeditionem illam paratam quidem fuisse, nec tamen susceptam contendens, hac opportunitate utitur, ut Niciae segnitiam in Amphipoli armis recuperanda denuo vituperet. Cf. Roscher, l. l. pag. 423 sq.

2) Etenim viri docti hac de re ambigunt. Hermann, *de Ostracismo*, pag. 20; Thirlwall, *Hist. of Gr.* vol. III, pag. 360; Meineke, *Fragm. com. gr.* I, pag. 193 sqq., alii, rem ad anni 415 initium referunt, quamquam sententiam hanc firmis argumentis hand probant. Cobetus vero in *Observat. crit. in Plat. com. reliq.*, p. 143 sqq. ob Theompompi testimonium, in Schol. ad Aristoph. *Vesp.* 1001 (1042) relatum, anno 417 id factum statuens plerorumque seniorum suffragia tulit. Vidd. Vischer, *Alcib. u. Lys.*, pag. 57; Hertzberg, pag. 136 sq. G. Grote tamen VII, pag. 144 dubius haeret et tantum asseverat rem inter annos 420 et 416 factam esse.

συμφέρον, ἐπαχθῆς ἦν (Plut. *Nic.* 11). Theophrastus quidem apud Plutarchum (*Nic.* 11 et *Alc.* 13) Phacacem, non Niciam, Alcibiadi hac in causa oppositum fuisse perhibet; hoc tamen veri absimile est, cum quia, ut Plutarchus addit, id cum plurimorum auctorum testimoniis pugnat, tum quod Phaeax homo fuit levior quam qui civibus sollicitudinem et metum injicere posset 1). Neque facere equidem possum cum Büttnero 2), qui Andocidem quoque in illorum numero fuisse opinatur. Orationem enim κατ' Ἀλκιβιάδου, e qua opinionem istam duxisse videtur, Andocidi abjudicandam esse non minori doctrina quam sagacitate demonstravit vir clar. Meierus, cujus sententia jam communi fere eruditorum consensu comprobata est 3).

At vero, quum utrique, et Alcibiadi et Niciae, tantum immineret periculum, totaque civitas ob contentionem juniores inter et seniores, quorum hi paci, illi bello favebant, quasi divisa esset, ambo reconciliati factiones suas coalescere passi sunt et in communem competitorem vires suas verterunt. Namque Hyperbolus ἐπιζῶν, θατέρου τῶν ἀνδρῶν ἐκπεσόντος, αὐτὸς ἀντίπαλος τῷ λειπομένῳ γενέσθαι, κα-

1) Cff. Roscher, pag. 424 in nota; Vischer, l. l. pag. 56, not. 23; Hertzberg, pag. 136, not. 35; G. Grote, qui tamen addit, VII, pag. 147: »the coalition of votes and parties may well have included all three." Ita fieri potuit; attamen Plutarchus id non tradit. Contra disputat K. Fr. Hermann, *Gr. Staatsalterth.* § 164, 15.

2) l. l. pag. 61.

3) Meier, *Commentati. de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem*, Halae, 1836 sqq. Cff. quae de eadem oratione dicit G. Grote, IV, pag. 203; VI, pag. 9; VII, pag. 144.

ταφανής ἦν ἠδόμενός τε τῇ διαφορᾷ καὶ παροξύνων τὸν δῆμον ἐπ' ἀμφοτέρους (Plut. Nic. 11). Igitur suffragiis latis Hyperbolus ostracismo percussus est, qui patria relicta in insulam Samum est profectus 1). Eventus hic inopinatus primo mirationem ac risum movit; sed haud ita multo post populum tantopere facti poenituit, ut ostracismi iudicio posthac prorsus abstinerint. Multum autem abest, ut Nicias fortunam hac in re praedicandam putemus; contra Plutarchum recte iudicasse opinamur, si Nicias ostracismi iudicio cum Alcibiade certasset, ipsum vel victorem amoto aemulo rempublicam secure gubernaturum fuisse, vel victum honeste fuisse cessurum servato optimi ducis nomine. Verum fors aliter tulit 2).

Jam omissis iis quae hoc et insequenti anno 416 Alcibiades, ut democratiam Argis restitutam confirmaret, in Peloponneso egit (Thuc. V, 82—84), ommissa

1) Thuc. VII, 73. Iudicium de hoc *λυχνοπώλη* ab historico ibi latum dignum est, quod describamus: Ὑπερβολον, δicit, ὠστρακισμῶν οὐ διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιωματος φόβον, ἀλλὰ διὰ κτηνίαν καὶ ἀσθένην τῆς πόλεως. Quae verba non repugnare mihi videntur iis, quae de conjunctione factionum Nicias et Alcibiadis ad Hyperbolum opprimendum diximus. Cf. Lachm., *Hist. Gr.*, pag. 19 sq. — De morte viri et sepultura haec leguntur in Scholiis ad Aristoph. *Pac.* 680: ἐν Σάμῳ δὲ διατρίβων, ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἐχθρῶν ἐπιβουλευθεὶς ἀπέθανε, καὶ τὸν νεκρὸν αὐτοῦ εἰς σάκκον βαλόντες ἔρριψαν εἰς τὸ πέλαγος. Quae e Theopompo petita esse declarant scholia ad *Vesp.* 1001.

2) Cf. Hertzberg, pag. 114; Vischer, l. l. pag. 22; Niebühr, l. l. pag. 136 sq. Lecta dignissima quoque sunt ea, quae Büttner, pag. 62 sq. et Grote, VII, pag. 148 observant de causa, cur post Hyperbolum expulsus ostracismus Athenis in desuetudinem abierit.

item Meli insulae expugnatione, qua in re vix ulla Niciae fuisse partes supra 1) ostendimus (Thuc. V, 84—116), accedimus ad memorabilem illam expeditionem Siciliensem 2), de qua suscipienda acerrima fuit Niciam inter et Alcibiadem contentio, quam priusquam exposituri sumus, belli causas paucis explicare lubet.

Sicilia, fertilissima opulentissimaque insula, jam dudum Atheniensium animos ad se traxerat et cupiditate inflammaverat. Jam vivente Pericle de occupanda insula somniaverat factio popularis 3); quod tamen demens consilium ille tunc quidem repressit. Anno vero 427 quum Syracusanos inter et Leontinos, quorum alteri natione Dorienses, alteri Iones erant, inimicitiae erupissent, atque hi ab Atheniensibus tamquam cognatis auxilium petiissent, Athenienses occasione avidè arrepta, tum primum rebus Siciliae se immiscuerunt, id praecipue spectantes, ut Peloponnesios frumento, quod inde importari solebat, privarent atque simul futurarum victoriarum viam sibi muni-

1) Vid. pag. 45. Id ipsum, quod Alcibiades huic operi, Lacedaemoniis insuper infestissimo, manum admovit, Niciam rei socium fuisse redarguere videtur. Cf. Plut. *Alc.* c. 16; Pseudo-Andoc. c. *Alcib.*, p. 123, 124.

2) De qua Niebührius, l. l. pag. 112 jure dicit: »eines der allerentscheidendsten Ereignisse der Weltgeschichte. Ohne diese Unternehmung, auf die Athen alle seine Kräfte verwandte, hätte Sparta nie siegen können. Nicht die materiellen Folgen bloß waren entscheidend, auch die Meinung der Menschen ward durch den Ausgang dieser Unternehmung bestimmt.»

3) Vid. Plat. *Alc.* 17 init; *Peric.* 20. Desiderium illud tecte significat ipse Thuc. I, 41, ubi causas enarrans, ob quas Athenienses Corcyrae contra Corinthios opitulati sint, haec addit: *ἀμα δὲ τῆς τε Ἰταλίας καὶ Σικελίας καλῶς ἐφαίμετο αὐτοῖς ἢ νῆσος ἐν παράπλῳ κείσθαι.*

rent 1). Per tres deinceps annos classibus in Siciliam missis, sociis suis opitulati vario Marte dimicarunt, donec, Hermocratis suasu inter omnes Siciliae civitates pace restituta, anno 424 duces Atheniensium re infecta domum remissi sunt. Nec minus operam perdiderunt Athenienses, quum anno 422 Leontinis, popularis imperii fautoribus, opem ferre conati sunt, quo simul Graecas urbes in Sicilia et Italia inferiore sibi conciliarent. Sex deinde anni sunt elapsi, antequam vetera consilia, numquam plane abjecta, renovare potuerunt. Etenim anno demum 416 novae in Sicilia ortae sunt discordiae inter civitates Segestam et Selinuntem *περὶ τε γαμίζων τινῶν καὶ περὶ γῆς ἀμφισβητήτου* (Thuc. VI, 6). Segestani igitur, quum a Selinuntiis eorumque sociis Syracusanis terra marique gravi bello premerentur, exeunte anno, legatos miserunt Athenas auxilium rogaturos, qui Atheniensibus quum priorem Leontinorum societatem in memoriam revocarunt, tum crescentem in dies Syracusanorum potentiam ante oculos posuerunt, pecunias denique bello necessarias polliciti sunt 2). Eodem tempore Leontinos exsules Athenis adfuisse (cf. Thuc. V, 4), quamquam Diodorus XII, 83, refert, non est

1) Thuc. III, 86, ubi: *πρόχειράν τε ποιούμενοι* (ἐπεμψαν ναῦς τῆς μὲν οἰκειότερος προφάσει) εἰ σπῆσι δυνατὰ εἴη τὰ ἐν τῇ Σικελίᾳ πράγματα ὑποχίρῃα γενέσθαι. Diod. XII, 54. Cf. Kortüm, l. l. pag. 518 sqq. et Hertzberg, p. 145 sqq.

2) Rem tragice exornat Justinus, IV, 4: *sordida veste, capillo barbaque promissis, et omni squaloris habitu ad misericordiam commovendam conquisito, concionem deformes adeunt.*"

probabile, quum Thucydides VI, 6, nullam horum mentionem faciat. Aliquanto post demum (c. 12) Nicias eos primum memorat atque deinde (c. 19) in concionem progressi esse dicuntur; quare cum altera demum Segestanorum legatione (c. 8) eos advenisse probabile est ¹⁾. Verum, ut illuc redeam, legati haud frustra verba fecerunt coram populo; namque identidem auditis eorum sermonibus, cohortantibus quibusdam, quorum in numero praecipuus erat Alcibiades (Thuc. VI, 15), Athenienses decreverunt, legatos Segestam mittere qui explorarent, num tantum pecuniae, quantum pollicebantur, in aerario et in templis haberent, et simul sciscitarentur, quo in statu res bellantium civitatum essent ²⁾. Dimissa autem legatione pristina cupiditas, aliquamdiu sopita, denuo excitata est, tantusque omnes in Siciliam navigandi invasit ardor, ὥστε καὶ νέους ἐν παλαιστοῖς καὶ γέροντας ἐν ἐργαστηρίοις καὶ ἡμικυβλίοις συγκαθεζομένους ὑπογράφειν τὸ σχῆμα τῆς Σικελίας καὶ τὴν φύσιν τῆς περὶ αὐτὴν θαλάσσης καὶ λιμένας καὶ τόπους, οἷς τέτραπται πρὸς Λιβύην ἢ νῆσος. Οὐ γὰρ ἄθλον ἐποιοῦντο τοῦ πολέμου Σικελίαν, ἀλλ' ὀρμητήριον, ὡς ἀπ' αὐτῆς διαγωνισόμενοι πρὸς Καρχηδονίους καὶ σχήσοντες ἅμα Λιβύην καὶ τὴν ἐντὸς Ἰρα-

1) Vid. Poppo in edit. Thuc. VI, 6. Contrarium affirmant Hertzberg, l. l. pag. 148 et G. Grote, VII, pag. 198. Leontini legati commemorantur etiam a Plat. *Nic.* 12.

2) Ex hoc apparet, eorum, qui Segestanorum pollicitationibus diffisi Alcibiadisque consiliis adversati expeditionem improbarent, initio satis numerosam factionem Athenis fuisse. Cf. G. Grote, VII, 199.

κλείων στηλῶν θάλασσαν 1) (Plut. *Nic.* 12. Cf. *Alc.* 17 et Isocr. *de Pace* § 85).

§ 3. *Deliberationes de expeditione in Siciliam paranda.*

Ingens classis exornatur.

Gravissima jam reipublicae Atheniensium imminebat tempestas, quam qui avertere soli potuissent, ipsi libidine atque inscitia 2) occaecati etiam maturarunt. Praecipua vero rei culpa in Alcibiade fuit, ut qui παντάπασι τὸν ἔρωτα τοῦτον (scil. Siciliae occupandae) ἀναφλέξας αὐτῶν, καὶ πείσας μὴ κατὰ μέρος μηδὲ κατὰ μικρὸν ἀλλὰ μεγάλῳ στόλῳ πλεύσαντας ἐπιχειρεῖν καταστρέφεσθαι τὴν νῆσον, ingentem spem et fiduciam populo injecerat omnesque in suam sententiam rapiebat (Plut. *Alc.* 17). Apparebat tum Athenienses leonem aluisse in civitate, cui adulto morigerari necesse esset 3). In tanta universi paene populi dementia haud exiguam laudem sibi meruerunt

1) Ultima autem verba in Alcibiadem potius congruere quam in universum populum probant tam Thucydidis silentium quam Plutarchi in *Alc.* 17 haec verba: Ἀρχὴν γὰρ εἶναι πρὸς ἃ ἠλπίζει διενεῖτο τῆς στρατείας, οὐ τέλος, ὥσπερ οἱ Λοκροὶ, Σικελίαν. Quae enim Thucydides VI, 90 Alcibiadem in Lacedaemoniorum concione exposuisse fingit, haec oratoris potius quam Atheniensium voluntates et consilia exprimere videntur. Cf. G. Grote, l. l. pag. 222.

2) Thuc. VI, 1: ἄπειθοι οἱ πολλοὶ ὄντες τοῦ μεγέθους τῆς νήσου κτῆ.

3) Aristophanes, ut testatur Plutarchus *Alc.* 16, civis suos de Alcibiade adolescente commonefecerat his verbis:

Μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ἐν πόλει τρέφειν
ἦν δ' ἐκτρέφῃ τις, τοῖς τρόποις ὑπερετεῖν.

pauci illi, qui, tam patriae quam hostium vero statu perspecto expeditionisque periculis ponderatis, tristem rei exitum praesagiebant ideoque bellum ex animi sententia detestabantur. In his praeter Socratem philosophum et Metonem astrologum 1) etiam Nicias fuit: cui licet aliae quoque causae, inter quas animi segnities et odium collegae 2), concurrerent ad expeditionem Siciliensem dissuadendam, ejusdem tamen sagacitatem, qua vana ambitionis somnia a vero rei-publicae commodo discernere valuit, satis praedicare non possumus. Ex ipsis veteribus hoc in Niciae laude ponunt Plato in *Theage* p. 129 C, et Plutarchus in vita, c. 14, et in *Comp. N. c. Cr.* 4, ubi ita disserit: Ὁ μὲν γὰρ, ἐμπειρία καὶ λογισμῶ χρησάμενος ἡγεμόνος ἔμφρονος, οὐ συνηπατήθη ταῖς ἐλπίσι τῶν πολιτῶν, ἀλλ' ἀπέπε καὶ ἀπέγνω λήψεσθαι Σικελίαν. Scilicet non tantum ipse agnovit rei periculum, sed etiam cives de perniciosa ipsorum cupiditate commone et quam alieno tempore festinarent quamque difficilia ista ad consequendum essent demonstrare officii sui duxit. Itaque, ubi primum Segestanorum legati auxilium ab Atheniensibus rogaverunt, rem dissuasit, et deinde, quum multitudinem ab Alcibiade spe atque promissis jam ante corruptam vidisset quam concio haberetur, bellandi ardorem coercere populumque ab expeditione serio agitata revocare quan-

1) Alterum τὸ δαυμόνιον monuerat, alter de filii sorte sollicitus furoris simulatione hunc militia liberaverat. Vid. Plut. *Alc.* 17; *Nic.* 13.

2) Vid. infra pag. 96 not. 3.

tum potuit semper quovis loco tentavit. Quodsi nihilominus frustra fuit, id non Niciae imputandum, sed partim bellicoso multitudinis animo partim paucitati et segnitiei eorum qui Niciae suffragabantur. *Οἱ γὰρ εὐποροὶ, δεδιότες μὴ δοκῶσι τὰς λειτουργίας καὶ τριηραρχίας ἀποδιδράσκειν, παρὰ γνώμην ἡσύχαζον* (Plut. Nic. 12). Quemadmodum autem brevi tempore ante in contentione de ostracismo civitas in duas partes divisa fuerat, ita nunc quoque certamen, quod Alcibiadem inter et Niciam non de ipsorum sed de reipublicae salute gerebatur, juniores cives a senioribus disjunctos tenuit. In quo certamine quamvis alter inferior fuit, tamen parcm fere amborum ducum apud populum fuisse auctoritatem 1), id et ex ipsis deliberationibus apparet et e summo studio, quo Niciam, quamvis repugnantem, una cum Alcibiade imperio ornarunt. Sed res ordine enarremus.

Quum igitur ineunte vere anni 415 Atheniensium legati una cum Segestanis, qui sexaginta argenti talenta tamquam menstruum totidem navium stipendium 2) afferebant, e Sicilia rediissent, populus, con-

1) Cf. Roscher, l. l. pag. 424. Plutarch. in *Comp. Nic. c. Cr.* 3 haec scribit: *Ἐλεῖνα μέντοι μεγάλης ἐπιεικείας σημεῖον, ὅτι δυσχεραίνοντα τὸ πολεμεῖν ἀεὶ καὶ φεύγοντα τὸ στρατηγεῖν οὐκ ἐπαύοντο χειρονοοῦντες, ὡς ἐμπειρότατον καὶ βέλτιστον.* Tantam Niciae existimationem etiam apud hostes fuisse significat Thuc. VI, 34.

2) Thuc. VI, 8: *ἄγοντες ἐξήζοντα τάλαντα ἀσήμων ἀργυρίου ὡς ἐς ἐξήζοντα ναῦς μηνὸς μισθόν.* Ducenos homines in singulis navibus numeratos et stipendia singulorum singulis drachmis in dies aestimata esse, inde efficit Böckh, *Staatsh.* I, pag. 298 sqq. Interpretationem Krügeri, qui ὡς non ad μισθόν, sed ad nomen numerale referendam censet, improbandam puto.

cione convocata, speciosis legatorum et nautarum, qui Segestanorum fraude decepti erant 1), nuntiis confisus sexaginta naves in Siciliam mittere decrevit et duces summa potestate praeditos creavit Alcibiadem, Niciam, Lamachum 2). Hos primum Segestanis opem ferre oportebat contra Selinuntios, deinde, si hoc bellum prospere cessisset, Leontimos in suas sedes restituere, cetera denique in Sicilia sic agere, ut Atheniensibus maxime expedire judicarent. Quinto autem die 3) post, quum iterum concio haberetur, Nicias, ὃς οὐκ ἔκαμνεν οὐδ' ἀπηγόρευεν (Plut. *Nic.* 12), in medium progressus populum a consilio revocare studuit. Quam tunc orationem egisse a Thucydide fingitur, eam speciminis gratia Latine redditam, additis nonnullis observationibus, hic apponere juvat. Tametsi enim non ipsa oratoris verba hic (VI, 9—14) referri ipse Thucydides vocabulo τοιάδε significat 4), tamēn

1) Vidd. Thuc. VI, 46; Diod. XII, 83; Polyaeu. VI, 21.

2) Thuc. VI, 8; Plut. *Alc.* 15, 21; *Nic.* 12, 15; Diod. XII, 84. Cf. Justin. IV, 4; Nepot. *Alc.* III, 1; Böekh, l. l. II, pag. 33. Cur hos tres duces constituerint, exponit inter recentiores Hertzberg, l. l. pag. 151. Ceterum vix opus est monere, Plutarchum errare talia narrantem: Ἀθηναίους στρατηγὸν εἰσεῖλαι πρῶτον ἐκείνον (τὸν Νικίαν) μετ' Ἀλκιβιάδου καὶ Λαμάχου (*Nic.* 12). Quibus assentiri videntur Andoc. *de Myst.* § 11 et G. Grotius, pag. 201.

3) De quo infra pag. 104 not. 1.

4) Secundum Diod. XII, 83 Nicias etiam bellorum mentionem fecit quae Carthaginenses de insula Sicilia gesserant. Quod quum a Thucydide non memoretur, ex alio fonte Diodorus duxisse debet idque comprobat ea, quae de orationis veritate monuimus. In Thucydide interpretando usi sumus editionibus Haackii, Gölleri, Krügeri, Popponis, necnon singulari libello, quem scripsit Kampe, Neo-Rupini, 1835. Quicquid ab his jam satis explicatum esse mihi visum est, omisi.

oratio illa propriam personam, qua ille a natura quasi indutus erat, tam egregie exprimit, ut eam dignam habeamus quae integra hic describatur.

Ergo Nicias hujusmodi verba fecit:

„Convocata est haec concio, ut deliberemus quo apparatu classem in Siciliam mitti oporteat; at mihi de hoc ipso adhuc consultandum videtur, num e re nostra sit classem expedire, nec tam brevi maximis de rebus deliberatione, externorum 1) hominum obsequio suscipiendum bellum quod nihil ad nos pertinet. Tametsi 2) ego et honore hac ex re augeor et corpori meo minus quam alii quidam timeo 3): — non quasi minus bonum esse civem arbitrer qui et corpus suum et fortunas non nihili faciat 4); nam qui sic animatus est, etiam patriam quam maxime sua ipsius causa salvam cupiet: — [sed quamquam haec ita sunt] nihilominus ut antea numquam propter ambitionem secus dixi ac sentirem 5), ne nunc quidem id faciam, sed quod optimum consultu arbitror 6) dicam.

1) Ἀλλοφύλους Thucydides vocat Segestanos, sicut infra c. 11 βαρβάρους, ut qui e collavie Trojanorum et Phocensium coaluissent, VI, 2.

2) »Tametsi ego ceit.» His respondent illa »nihilominus ceit.» Thucyd. καίτοι ἔγωγε — ὅμως δὲ κτέ. Verba quae lineolis intersepsi, parenthesis efficiunt.

3) Vid. supra pag. 15.

4) Tangit his adversarios, qui tales cives ignaviae accusabant. De sententia vid. supra pag. 13, collato Kumpio, l. l. pag. 8.

5) Hoc oratoris dictam non nimis severa trutina examinandum: nam certe quum Cleoni imperium contra Sphaacteriam cederet, dixerat κατὰ γνώμην διὰ τὸ προτιμᾶσθαι. Ceterum Nicias saepe in concione verba faciebat. Thuc. IV, 28; V, 46.

6) Graece: ἢ ἂν γινώσκω βέλτιον, ἔγω. In his verbis ἂν ad γινώσκω (conjunctivum) est referendum, ut dicitur ἢ ἂν δένομαι μάλιστα. Sensus hic est: dicam sic ut optime factum iri censeo: h. e. eam dicam sententiam, quam uti-

Mentes autem vestras si considero, parum valituram esse puto meam orationem, si vos hortarer tueri quae possidetis nec de praesentibus propter incerta et futura periclitari 1); tantum docebo, nec tempestive vos festinare nec facile adipisci posse quod contenditis.

„Ajo enim vos, quum hostes multos hic relinquatis, tum novos etiam studere, illuc navigando, huc 2) arcessere. Putatis fortasse in foederibus, quae pacti estis, aliquid firmi vobis inesse; quae, si quietos vos tenetis, nomine [certe] foedera erunt: ita enim quidam et e nostris civibus et ex adversariis conditiones 3) exsecuti sunt; sin majore in re aliquid offendatis, statim nos adorientur hostes, qui primum propter

lissimam recip. esse censeo. Similiter loquitur I, 126: ἐπιτρέψαντες..... διαθεῖναι, ἧ ἂν ἔριστα διαγγώσκουσι. Cf. VI, 8, 2. Cod. Gr. habet τὰ βέλτεστα, sed ut recte dicitur τὰ βέλτεστα γινώσκουσιν, sicut τὰ δίκαια γινώσκουσιν dicit Demosthenes, ita male id copulatur cum ἧ ἂν.

1) Nempe taedebat eum quod a Pericleis consiliis populus recessisset. Vid. supra pag. 35. Cf. Thuc. VI, 47: (Νικίου ἦν γνώμη) τῇ πόλει δαπανῶντας τὰ οἰκῆτα μὴ κινδυνεύειν.

2) Gr. δεῦρο ἐπαγγέσθαι, pro quo plerique libri δεύτερον ἐπαγγ. quam lectionem frustra defendit Kampius, dicens scilicet hoc vocabulum h. l. statim significare. Ita vero, ut alia taceam, auctor contraria loquentem faceret Niciam, ut qui c. 11, 4, dicat, hostes ex Sicilia tum demum in Atticam invasuros esse, εἰ σφαλεῖσθαι τι.

3) Gr. οὕτω γὰρ — ἔπραξαν αὐτάς (τὰς σπονδάς) vel αὐτά. Optio dubia: utrumque idem valet: nam etiam αὐτά si legas, id ad σπονδάς referri debet, non, ut Kampius censet, ad totum enunciatum. οὕτως ἔπραξαν τὰς σπονδάς hic non significat ita foedus fecerunt, sed tali modo foedus (s. foederis conditiones) exsecuti sunt sive effectum dederunt. Tangit eos qui omnibus artibus foedus in vitam eludere studuerant. Simili sensu πράττειν usurpat ex. gr. Sophocles Phil. 87: οὕς ἂν τῶν λόγων ἀλγῶ κλίον — τοὺςδε (τοὺς λόγους) καὶ πράσσειν στυγῶ. Oed. R. 68: ἦν εὐρισκὸν ἴασιν μόνην, ταύτην ἔπραξα.

acceptas clades pactionem fecerunt cum majore quam nos dedecore, necessitate coacti, deinde hac ipsa in pactione multa sunt de quibus inter nos controversia est. Praeterea sunt qui ne hoc quidem foedus acceperunt, iique haud minime valentes, quorum alii palam bellum gerunt, alii, propterea quod Lacedaemonii adhuc quietos se tenent, ipsi quoque decem dierum induciis ab armis continentur. Sed simulatque, opinor 1), vires nostras divisas offenderint, id quod maturamus, sine mora nos adorituri sunt una cum Siciliensibus, quos superiore etiam tempore quovis pretio socios sibi optassent. Haec igitur perpendere nos 2) oportet nec committere ut fluctuante republica periculo nos exponamus neque novum imperium affectare antequam res partas stabiliverimus. Chalcidenses quippe, Thraciam incolentes, qui tot annos a nobis defecerunt, nondum ad officium redacti sunt et alii quidam continentis populi dubia sunt fide. Nos autem Segestanis videlicet, sociis, injuriam se accepisse dictitantibus 3) prompte auxiliamur, a quibus vero ipsi jamdudum

1) Gr. ἴσως (*fortasse*), quod saepe dubitandi specie vim habet affirmandi, ut latinum *opinor*.

2) Gr. *τινα*. Saepius pronomine indefinito utantur scriptores pro cuiuslibet personae et numeri personalibus. Cf. Matth. Gr. § 487, 3. Illud h. l. pro ἡμᾶς esse positum e sequentibus patet.

3) Gr. ἡμεῖς δὲ Ἐγισταίους δὴ οὖσι ξυμμάχοις ὡς ἀδικουμένοις ὀξέως βοηθοῦμεν. Perperam Poppo aliique particulam δὴ referunt ad proximum οὖσι ξυμμάχοις, quasi *sociorum* nomen in risum vertatur. Cui tamen explicationi obstare verborum collocationem recte animadvertit Krüger ad h. l. Et Segestani revera Atheniensium socii fuisse mihi videntur ob VI, 19 init. et 33. Particula autem ὡς (*quippe*) ante participium positam designat rationem ab altero propositam.

per defectionem injuriam patimur, eos vindicare adhuc cunctamur 1).

„Atqui hos tamen, si debellaverimus, etiam retinere in potestate, illos vero, etiamsi vicerimus, quia multi sunt multumque a nobis distant, subjectos tenere haud facile poterimus. Amentia vero est arma inferre iis quos nec, si viceris, in imperio retinere queas, nec si male rem gesseris, in eadem conditione qua ante bellum sis futurus 2). Siciliensium enim in praesentia eum esse statum arbitror, ut minus etiam timendos nobis putem, si Syracusani iis imperarent 3): quod ipsum est quo Segestani nos maxime teritant. Nunc enim facile, ut Lacedaemoniorum gratiam ineant, singulae [civitates] arma sumant; illud vero si fiat, haud verisimile est imperium contra imperium bello certaturum. Namque ita futurum esset, ut, quemadmodum nunc una cum Peloponnesiis nostrum nobis imperium erepturi essent, ita postea ab iisdem suum ipsorum imperium everteretur. Nos vero Graecis illic habitantibus maxime quidem timendi habebimur, si non ad eos veniamus; secundo autem

1) Hoc dictum in ipsum Nicias retorqueri potest, quippe qui cunctatus sit in Amphipoli armis recuperanda. Cf. supra pag. 65.

2) Verissime dictum. Est haec praecipua causa, ob quam Sicilia Atheniensibus numquam expetenda fuerat. Cf. Hertzberg, l. l. pag. 160 sq. et Grote, pag. 218, ubi ita disserit: »The remark of Nicias is just, that Athens was aiming at an unmeasured breadth of empire, which it would be altogether impossible for her to preserve.»

3) Gr. *Σικελιώται δ' ἔν μοι δοκοῦσιν, ὥς γε νῦν ἔχουσι, καὶ ἔτι ἂν ἥσσον δεινοὶ ἡμῶν γενέσθαι, εἰ ἀρξείαν αὐτῶν Συρακούσιοι.* Quod idem est ac si diceret: »Sicilienses, ut nunc se habent, magis etiam timendi nobis esse videntur, quam si Syracusanis parant.»

loco, si ostensis nostris opibus, quam primum discedamus 1). Quodsi vero adversi quid nobis acciderit, cito nos despicientes una cum Graecis hic habitantibus adorturi sunt. Scimus enim maxime suspici quae longissime distant minimamque experiendi sui copiam fecerint. Quemadmodum nunc vos ipsi, Athenienses, erga Lacedaemonios eorumque socios affecti estis: quos primum in bello metuebatis, eosdem praeter expectationem superatos contemnitis et ipsam jam Siciliam appetitis. Atqui docet non propter infortunia adversariorum animis efferri, sed consilia moderantem confidere 2). Neque vero credatis, Lacedaemonios ob acceptam contumeliam aliud quid nisi hoc agere ut quaerant, qua via etiam nunc, nos labefactando, suo dedecori mederi possint, idque eo magis, quo studiosius a longo inde tempore virtutis existimationem sectati sunt. Quare non de Siciliensibus Segestanibus, barbaris hominibus, contentio nobis erit, si sapimus, sed de hoc, qua ratione a civitate, quae ob oligarchiae studium 3) nobis insidiatur, prompte cavcamus.

1) Horum consiliorum prius Nicias maxime placuit, posterius rursus dedit, quam daces Rhégii de belli gerendi modo deliberarent. Vid. c. 47.

2) Gr. τὰς διανοίας κρατήσαντας θαροεῖν, h. e. consilia in sua potestate tenentes, ne vanis opinionibus et cupiditatibus mentes abreptae inania concupiscant. Eodem sensu dici potuit τῆς διανοίας κρατεῖν, animo suo imperare, ut dicitur κρατεῖν ἑαυτοῦ, κρατεῖν γνώμης, idque si codices offerrent, praeferrem.

3) Gr. δι' ὀλιγαρχίας ἐπιβουλεύουσιν. Duae hae regiminis formae omnem Graeciam tum in duas partes disjunctam tenebant, oligarchia et democratia, quas inter posterioribus praesertim belli Peloponnesiaci annis acerrimum certamen fuit. Cf. Demosth. de Rhod. libert. § 19. Ceterum animadvertatur, quam caute Nicias Laconismum suum coram populo tegat.

„Illud etiam meminisse oportet, nuper modo nos a gravi morbo et bello paullum respirare coepisse, ita ut et divitiis et hominum numero aucti simus. Has copias nobis suppetere par est ad domesticum usum ¹⁾, non his exsulibus auxilium mendicantibus, quibus conducit speciose mentiri, ut ²⁾, proximo periclitante, ipsis verba tantum insumentibus, si res feliciter gesta sit, debitas non referant gratias, sin' male, socios secum in perniciem trahant. Si quis vero imperatorem se creatum gaudens ³⁾ vos hortatur in bellum proficisci, suam tantum rem cordi habens, quum praesertim imperandi experientia juvenis sit ⁴⁾, ut cum admirationem sui excitet quadrigarum luxu,

1) Gr. καὶ ταῦτα ὑπὲρ ἡμῶν δίκαιον ἐνθάδε εἶναι ἀναλοῦν κτέ. Istud εἶναι, quod nonnulli libri omittant, quidam delendum censuerunt. Poterat sane abesse; nec tamen est cur in eo offendatur. Sensus ad verbum hic est: »justum est domi (ἐνθάδε) haec esse i. e. in promptu esse, suppetere ad utendum pro nobis." Pro hoc poterat etiam dixisse: ταῦτα δίκαιον ἐνθάδε ἡμᾶς δύνασθαι ἀναλοῦν, facultatem nobis esse domi his utendi.

2) Perspicuitatis gratia paullum mutavi constructionem. In verbis Graecis duo haec membra copulantur particula καί: οἷς τό τε πείσασθαι καλῶς χρήσιμον, καὶ τῷ τοῦ πέλας κινδύνῳ κτέ.

3) Haec, quae, ut sponte patet, ad Alcibiadem spectant, ideo urget, quia ipse ἀνούσιος ἡρημένος imperii gloriam ob eventus metum contemnebat. Thuc. VI, 8. Alteram causam, ob quam Nicias imperium recusaverit, indicat Plut. Alc. 18: ὁ δὲ Νικίας ἄκων μὲν ἡρέθη στρατηγός, οὐχ ἡμισυ τὴν ἀρχὴν καὶ διὰ τὸν συνάρχοντα φεύγων. Quae verba praesentii invectione confirmantur, de qua recte judicat Grote, pag. 207: »the parliamentary attack was strictly accurate and well-deserved." Cf. Plut. Nic. 12: καὶ τελευτῶν διέβαλλε κτέ.

4) Haec breviter dicta hunc habent sensum: »suam tantum rem curans, nec reipublicae pericula reputans, quum praesertim sit adolescens, in imperio parum versatus." Sequentia »ut cum admirationem sui excitet cett." pendunt a praegressis »suam tantum rem cordi habens."

tum propter sumtuum magnitudinem etiam aliquid emolumentum ex imperio capiat, huic ne permittatis, ut civitatis periculo propriam sibi gloriam quaerat; sed existimate istiusmodi homines publicam rem fraudare, suam conficere; praeterea magnam et arduam rem agi neque talem cui consulendae et prompte exsequendae juvenis par sit.

„Video nunc quosdam hic sedere ejusdem viri fautores; quos ego timeo, vicissimque seniores hortor ne, si cui aliquis istorum adsideat, pudore conturbetur, [metuens] ne, si non bellandum censeat, pro ignavo habeatur; neve, quo isti morbo laborant, dementer concupiscant quae absunt, reputantes cupiditate minimum profici 1), providentia plurimum; verum ut pro salute patriae, quae in tantum quantum antehac numquam periculum adducta est, contrariam ferant sententiam decernantque, ut Sicilienses quibus nunc utuntur finibus (in quibus nihil est quod nos culpemus 2)) contenti, — Ionico sinu littus legentibus, Siculo mari per altum navigantibus, — sua possidentes inter se res suas componant; Segestanis autem ut seorsim respondeatur, quoniam a principio

1) Gr. *ὅτι ἐπιθυμία μὲν ἐλάχιστη κατορθοῦνται, προνοία δὲ πλεῖστα.* Ad *κατορθοῦνται* supplendum *ἔνθρονον*. Multo facilius erit constructio, si legatur *κατορθοῦνται* passiva significatione, quemadmodum *κατορθοῦσθαι* usitate ponitur tam apud alios scriptores quam apud Thucydidem.

2) Gr. *πρὸς ἡμᾶς οὐ μεμπτοῖς.* Verba haec ambiguae sunt significationis. Portus vertit: *de quibus non est quod apud nos querantur* (Sicilienses). Melius Stephanus: *de quibus non est quod queramur.* Ad verbum: *qui quod ad nos attinet non improbandi sunt*, h. e. in quibus nihil est quod nobis damnosum habeatur.

absque Atheniensibus bellum cum Selinuntiis inierunt, etiam secum invicem bellum componant; in posterum autem ne in societatem recipiamus, uti consuevimus, eos, quibus male rem gerentibus nos opem ferre necesse sit, contra, si ipsi auxilio egeamus, id non impetraturi simus 1).

„Jam tu, Prytani, si officium tuum esse censes consulere reipublicae et si vis bonum te civem praestare, fer ad populum et jube de integro sententias rogari Athenienses, persuasum tibi habens, si reformidas iterare rogationem, non tibi violatae legis 2) crimen in tanta testium frequentia insimulatum iri, sed civitatis male consulentis medicum te futurum, atque hoc demum esse recte magistratu fungi, si quis patriae quam plurimum utilitatis, aut certe nihil volens detrimenti afferat.”

Oratio haec ita gravis audientibus visa est, ut statim consultatio de suscipiendo bello iteraretur. Erant qui sententiam modo prolatam defenderent, major vero oratorum pars expeditionem mittendam suavit nec decreta rescindi passa est. In his vehementissime, ut credibile est, bellum urgebat Alcibiades, qui perpetuus Niciae adversarius, tam istius accusa-

1) Videtur hic Leontinos exules respicere, de quibus Thuc. VI, 6, 12.

2) Quo jure Schömannus, *Comit. Athen.*, p. 128, Arnoldus et Poppo ad h. l. contra diserta Thucydidis verba contendunt, neque hac in re neque in decreto de Mitylenensis iterum ad populum lato (Thuc. III, 36) leges esse violatas, ego non video. Cf. Hermann, *Gr. Staatsalt.* § 129, 17; G. Grote, l. l. pag. 206; de Lussanet de la Sablonnière, l. l. pag. 24 sq. — Ceterum in interpretandis verbis τὸ μὲν λέγειν τοὺς νόμους μὴ ἀλίαν σχεῖν Krügerum sequor, qui apte onfert Thuc. IV, 114, 5.

tionibus lacessitus quam veritus ne, spe sua destitutus, belli imperium et emolumenta e manibus suis elabi videret, Niciae verbis respondit in hanc sententiam 1): „se, quamvis propter vitae splendorem et magnificentiam vulgo invisum, jure tamen petere belli imperium et ob bene gestam domi rempublicam et ob sumtus publice factos 2), quibus aucta sit civitatis gloria; tum etiam dignum se esse tali honore ob ea quae in Peloponneso praeclara perpetrasset 3). Athenienses, quamdiu et ipse cum diffamata sua amentia valeat et Nicias felix esse videatur, utriusque commodo uti par esse. De expeditione in Siciliam facienda ne decreta rescindant, quasi adversus magnas opes sibi contentio esset. Civitates enim istas, e varia advenarum colluvie concretas, et facile mutare rerumpublicarum formas, neque ita comparatas esse ut uno animo recte monentium consilia sequantur aut communiter se ad res gerendas convertant. Quare quum et ob animorum discordiam parum valeant Sicilienses neque copiis ac belli apparatu polleant, ab illis sane bellum minime extimescendum esse. Quod autem ad res domesticas attineat, has aeque admittere immo potius suadere expeditionem. Postremo periculum esse, ne, si respublica Atheniensis, sociis auxiliandi cura abjecta, quieti se tradat, ipsa suis opibus atteratur et majorum disciplina consenescat. Quare spretis, quae quietem suadeant et dissidium senes inter et juvenes

1) Thuc. VI, 16—18. Cf. Diod. XII, 84; Plut. *Alc.* 18.

2) Sumtus illi haud minime Niciae invidiam exacuisse videntur.

3) Cf. Plut. *Praec. Reip. Ger.* pag. 804.

excitent, Niciae consiliis, strenue parent rem non tantum non periculosam, sed quae, si bene eveniat, ingens imperii incrementum sit allatura 1)."

Tali oratione, quae ad praesentem rerum statum plane accommodata erat, Alcibiades civium animos ipsos jam ad bellum propensos magis etiam inflammavit. Accedebant legatorum Segestanorum et exsulum Leontinorum querelae et preces: quibus omnibus effectum est, ut populus majore etiam quam antea studio ad hanc expeditionem suscipiendam ferretur 2). Nicias autem quum videret consilia sua ad bellum dissuadendum nihil valere, et nihilominus in proposito perstaret, aliam viam ingressus operam dedit, ut apparatus magnos flagitando populum de incepto detereret aut certe validum belli gerendi praesidium sibi pararet, νομιζων τοὺς Ἀθηναίους τῷ πλήθει τῶν πραγμάτων ἢ ἀποτρέψειν, ἢ, εἰ ἀναγκάζοιτο στρατεύεσθαι, μάλιστα οὕτως ἀσφαλῶς ἐκπλεῦσαι (Thuc. VI, 24). Quare iterum surrexit et alteram habuit concionem, cujus summam retulisse satis duco. In hac oratione tangit passim, ut res ferebat, Alcibiadis dicta; oratione utitur gravi quidem, attamen miti ac placida, ad suadendum magis quam ad commovendum auditores accommodata. Quanti autem ejus fuerit apud omnes auctoritas ex eo effici licet quod,

1) Haec orationem, quamvis Alcibiadis personae egregie accommodatam, sub acrem censuram merito vocavit G. Grotius, l. l. pag. 218—220, ejus judicio facile subscribo: "There is in fact no speech in Thucydides so replete with rash, misguiding, and fallacious counsels, as this harangue of Alcibiades."

2) Vid. Thuc. VI, 19.

quum ille unus obloqui populo ausus esset, placidas tamen ei aures praebuit. „Quoniam 1) vos, inquit, Athenienses, ad hanc militiam obeundam prorsus animatos video, utinam res eum exitum habeat quem optamus! nihilominus in praesentia quid ego sentiam dicam.” Ostendit Athenienses arma movere adversus civitates magnas, liberas, nec novarum rerum cupidas, quarum nullam ad ipsorum partes transituram esse praeter Naxum et Catanam. Ceteras, in his praecipue Selinuntem et Syracusas, omnibus rebus esse instructas, militibus, equis, pecunia, frumento non aliunde importato, sed suo. Cum tali igitur hoste procul a patria in aliena regione certaturis ingenti opus esse apparatu; adducendum esse magnum equitatum; tum pecuniam quam plurimam domo afferendam, quum Segestanorum promissis fides haberi nequeat. Necesse enim esse, ut exercitus a primo inde die, quo appulerint, aliorum auxilio nullo indigeat; sin minus, fore ut, minima clade accepta, omnia habeant adversa. „*Οπερ ἐγὼ φοβούμενος, καὶ εἰδὼς πολλὰ μὲν ἡμᾶς δέον βουλευσασθαι, ἔτι δὲ πλείω εὐτυχῆσαι (χαλεπὸν δὲ ἀνθρώπους ὄντας), ὅτι ἐλάχιστα τῇ τύχῃ παραδοὺς 2) ἔμμαντὸν βούλομαι ἐκπλεῖν, παρασκευῇ δὲ ἀπὸ τῶν εἰκότων ἀσφαλῆς ἐκπλεῦσαι ταῦτα γὰρ τῇ τε ξυμπάσῃ πόλει βεβαιότατα ἡγοῦμαι καὶ ἡμῖν τοῖς στρατευσομένοις σωτήρια. εἰ δὲ τῷ ἄλλως δοκεῖ, παρήμι αὐτῷ τὴν ἀρχήν.*”

Talibus verbis Nicias prorsus contrarium effecit ei,

1) Thuc. VI, 20—23.

2) Talem Niciam saepius jam cognovimus. Vid. supra pagg. 16, 48, passim.

quod spectaverat. Nam simulatque conticuit, universi cives ei apploserunt dictaque ejus unanimi approbatione sunt prosecuti. Dissensionibus inter juniores et seniores compositis, navigandi cupiditas omnes pariter invasit, quum res nunc jam tuta esse omnibus videretur. Quodsi quis forte adesset, cui etiam nunc bellum minus placeret, is veritus ne ceteris refragando reipublicae malevolus esse videretur, silentium agebat. Tandem vero Demonstratus, ὁ μάλιστα τῶν δημοαγωγῶν ἐπὶ τὸν πόλεμον παροξύνων τοὺς Ἀθηναίους (Plut. *Nic.* 12. Cff. ejusd. *Alc.* 18; Aristoph. *Lysist.* 391; Eupol. *Dem.* VII), surrexit et ad Niciam conversus dixit, non oportere amplius eum tergiversari atque cunctari, sed coram omnibus jam declarare, quemnam belli apparatus sibi decerni vellet. Cui ille, quamvis invitus, respondit, non pauciores, quantum in praesentia judicare posset, quam centum triremes armandas, nec minorem quam quinque millium gravis armaturae militum numerum esse mittendum; ceterum hac de re se cum collegis per otium accuratius consultaturum. Haec quum audivissent Athenienses, confestim, auctore Demonstrato, imperatoribus summam potestatem 1) decernunt, ut suo arbitratu et de copiarum numero et de universa expeditione transigerent.

1) Ἀντοιράτορας illos Thuc. VI, 8 jam dixerat. Igitur eo loco vis vocabuli minus late patet, quod etiam indicat deliberatio de belli apparatu, quae mox secuta est. Imperatoribus eam potestatem mandatam esse credimus, ut in Sicilia demum suo arbitrio agerent, duce Plutarcho, qui Demonstrati ψήφισμα tale refert: ὅπως ἀντοιράτορες ὦσιν οἱ στρατηγοὶ κἀνταῦθα κἀκεῖ βουλευόμενοι καὶ πράττοντες. (*Nic.* 12).

Deinde milites partim sociis imperando partim in ipsa Attica conscribendo expeditionem strenue pararunt, quod eo facilius erat factu, quoniam propter inducias urbs tam civium adulatorum quam pecuniae numero 1) abundabat (Thuc. VI, 24—26; Diod. XIII, 2).

Talem exitum habuit Alcibiadis et Niciae contentio: alter, victor e certamine discedens, civitatem dementi oratione inebriatam in maxima propulit pericula; alter, si adversa foret fortuna, oritura inde damna timiditate sua auxit. Etenim Niciam pro iis, quae in Sicilia peragere in animo habebat, nimias postulavisse copias nemo non videt. Quam ob causam jure G. Grotius (VII, pag. 218) consilii istius perversitatem quasi principium fuisse censet malorum, quae Niciae culpa in re Siciliensi civitati conflavit.

At, dum belli duces strenue omnia parant nec minori studio cives omnium ordinum opus sublevant, multa in urbe circumferuntur prodigia ac vaticinia 2). Harioli et vates, ut in rebus trepidis ac dubiis hoc genus hominum facere solebat 3), vel terrorem incutiebant populo vel Siciliae capiendae spem augebant 4). Major quidem illorum pars antiqui tenax, recentem plebis superbiam aversata, paci faverat; at

1) Vid. Andoc. *de Pace*, § 8, collato G. Grotio, VII, pag. 225.

2) Vid. Plut. *Nic.* 13. Cf. ejusd. *Alc.* 18.

3) Attende ad locum Thucydidis II, 21, ubi in descriptione turbarum, quae Peloponnesiis agrum Atticum vastantibus, Athenis exstitissent, χρησολόγοι τε, inquit, ἤθον χρησμούς παντοίους, ὧν ἀγοῦσθαι ὡς ἔλαστος ὄρηθητο.

4) Thuc. VIII, 1: ἀργίζοντο δὲ καὶ τοῖς χρησολόγοις τε καὶ μάντεσι καὶ ὁπόσοι τι τότε αὐτοὺς θειάσαντες ἐπέλπιον, ὡς λήψονται Σικελίαν. Cf. Krüger ad *Dion. Halic.* p. 272.

erant etiam, qui belli tempore ex vulgi superstitione plus lucri sibi sperarent quique corrumpi se facile paterentur. Itaque Alcibiades, qui etiam divinationis ope utendum sibi ad cives incitandos putabat, a nonnullis vatibus impetraverat, ut e veteribus quibusdam vaticiniis praedicerent, *μέγα κλέος τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ Σικελίας ἔσεσθαι*. Praeterea sacerdotes ab Ammonis templo afferebant oraculum, *ὡς λήψονται Συρακουσίους ἅπαντας Ἀθηναῖοι*. Contra haec idem Plutarchus narrat, multa fuisse ominosa quae expeditionem dissuaderent, sed ob id ipsum diligenter occultarentur. Et primum quidem eo ipso tempore, quo concio de belli apparatu habebatur, festum Adonidis lugubre agebatur 1) urbemque luctu implebat, ut mulierum planctus ad deliberantium aures penetraret. Haud ita multo post ominosi quid factum erat ad duodecim deorum aram 2): *ἄνθρωπος γὰρ τις ἐξαίφνης ἀναπηδήσας ἐπ' αὐτὸν (τὸν βωμόν), εἶτα περιβάς ἀπέκοψεν αὐτοῦ λίθῳ τὸ αἰδοῖον*. Praeterea Delphis portenta et oracula funesta nuntiabantur, quibus tamen populus Atheniensis parum est deterritus, quandoquidem Pythiam Doricensium rebus favere omnes norant 3). Animadversione autem dignum est, Niciae ejusmodi aliquam fraudem, qualem Alcibiadem machinatum esse

1) Quod patet ex Aristoph. *Lysistr.* vs. 391 sqq., etsi aliter de his loquitur Plut. *Nic.* 13; *Alc.* 18. Cf. Droysen, *des Arist. Vögel u. die Hermonok.* in Museo Rhen. III, pag. 165 sqq. Altera igitur concio die 19, altera die 24 mensis Martii habita esse videtur.

2) De XII deorum cultu vid. Hermann, *Griech. Antiq.* II, pag. 26.

3) Vid. Hertzberg, l. l. pag. 163.

vidimus, nusquam memorari. Videtur is a tali turpitudine plane alienus fuisse, ut qui deorum religionem sanctiorem haberet quam qua in suum commodum fraudulentè abuteretur 1).

Sed quum jam instaret tempus in bellum proficiscendi, accidit ut una nocte plerique Hermae, qui in oppido erant, dejicerentur. Hoc sacrilegio 2), „quod non ad privatam, sed ad publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est injectus, ne qua repentina vis in civitate existeret, quae libertatem opprimeret populi” (Nepos, *Alcib.* III, 3). Alcibiades, ut notum est, in suspicionem incidit, quia in privatis aedibus mysteria fecisse dicebatur. Nihilominus cum classe exire eum jusserunt et bellum conficere, priusquam quaestio de eo haberetur. Quinam fuerint sacrilegii istius auctores, quaestio est obscura, de qua adhuc sub iudice lis est. Quo vero jure in hoc flagitio Niciae aliquas fuisse partes credere quis possit, equidem non video 3). Non enim talem nostrum cognovimus. Erat vir religiosus et probus. Occultis machinationibus invidiam aemulo conflare, id

1) In contrariam sententiam abit Westius in Pauly *Realenc.* s. v., ubi haec dicit: „Vergebens wurden allerhande Zeichen gemeldet, die ganz in Nikias' Sinne und vielleicht auch nicht ohne sein Zuthun einen unglücklichen Ausgang verhieszen.”

2) Quod ad Hermarum causam attinet lectorem relegamus ad praeclaram Droyseni disputationem „*Des Aristophanes Vögel und die Hermokopiden*”, pag. 161 sqq. Cf. Hertzberg, pag. 162 sqq.

3) Ridiculam illam opinionem defendit Chambeau, *de Alcibiade*, pag. 39, quem impugnarunt Roscher, I. I. pag. 427; Vischer, *Alk. u. Lys.* pag. 57, et Hertzberg, pag. 16.

abhorrebat a moribus ejus, qui adversario palam in concione restiterat. Neque vero opus est in Niciam oculos convertat, si quis fraudem illam in Alcibiadis perniciem excogitatam esse credat. Hic enim cum superbia multorum civium inimicitias, tum ambitione magnam invidiam sibi jam dudum contraxerat (Thuc. VI, 28).

Tandem Athenienses media aestate anni 415 e Piraeo solverunt classem omnibus rebus instructam et splendide ornatam, et primum Corcyram petierunt, quo etiam reliquus sociorum exercitus conveniret ¹⁾. Hic piget paene referre Niciae factum quod ei magno fuit dedecori. Plutarchus in vita c. 14 narrat, --- neque est quod de ejus fide hac in re dubitemus, --- in itinere Niciam pueri instar e nave retrospectentem et querentem quod consilia sua essent neglecta, cum collegis suis fecisse molestiam tum agendi impetum et vim retudisse. Quo sane nihil erat importunius: videlicet, ut Plutarchus dicit, *θῦδεις ἔτε καιρὸς ἦν τῆς πολλῆς εὐλαβείας, ἀλλ' εὐθὺς ἔδει τοῖς πολεμίοις ἐμφύοντα καὶ προσκείμενον ἐλέγχειν τὴν τύχην ἐπὶ τῶν ἀγώνων*. Niciam, qua erat ingenii timiditate, non eum fuisse quem praescens rerum conditio postulabat ducem, sequens narratio clarius ostendet.

¹⁾ Professionem classis luculenter describunt Thuc. VI, 30—32, et Diod. XIII, 3. Cf. Grote, VII, pag. 243 sqq.

C A P U T III.

NICIAE RES IN SICILIA GESTAE.

§ 1.

Res gestae ante Gylippi adventum.

Quod Niciae reliquum est vitae spatium duos complectitur annos, per quos, illo duce, Athenienses in Sicilia dimicarunt. Cujus belli acta et fata diligenter exponere nobis, ne historiam expeditionis Siciliensis scribere videamur, propositum esse nequit; praecipuas modo res in hac insula gestas, quibus Niciae persona illustretur, fusius explicabimus, in ceteris brevitati studebimus. Tum, si quando Thucydidem inter et alios scriptores sit aliqua narrationis discrepantia, hanc in primis attendemus.

Atheniensium classem in Siciliam proficiscentem duces constituerunt primum ad Corecyram ibique navium et copiarum numerum expleverunt 1). Inde

1) Vid. Thuc. VI, 43, quocum plane consentit Plut. *Alc.* 20. Numeram

praemissis tribus navibus speculatoriis, mense Julio anni 415 ad promontorium Japygium cursum direxerunt tantisque viribus Siciliam petierunt, „ut ipsis terrori essent in quorum auxilia mittebantur.” (Justin. IV, 4). Pleraque Italiae urbes exercitui nec vendiderunt commeatum nec moenia intrare permiserunt; quod statim praeter spem evenit et fuit quasi futurorum malorum praesagium. Rhegii ¹⁾ Athenienses excepti sunt, ubi castris extra urbem positis navibusque subductis, exploratorum reditum praestolari statuerunt.

Mox de Segestanorum inopia deque fraude, qua hi priores legatos deceperant, certiores facti sunt. Qui nuntius ad Niciam quidem non exinopinato ²⁾, sed ad ejus collegas vel maxime praeter expectationem pervenit. Neque tamen Niciam ante exercitus profectionem id plane compertum habuisse puto, quum alioquin gravem hanc expeditionis differendae causam coram populo urgere non neglexisset. Relationes eorum qui antea in Sicilia fuerant, quos de Segestanorum statu sedulo sciscitatus erat, suspicionem aliquam ei movisse videntur, quam deinde ipsius animi sollicitudo aluit. Quanta vero cum offensione et dolore exercitus fallacias istas acceperit, non est quod dicam (Thuc. VI, 42—44, 46; Diod, XIII, 3, 4 ³⁾).

minus diligenter computat Diod. XII, 84; XIII, 2, ubi vid. Wesselingius. Cf. Böckh, *Staatsh. d. Athener*, I, pag. 370, 401 ed. sec.; Krüger, I. I. p. 309.

1) Perperam de Alcibiade refert Plut. in vita e. 20, cum Rhegiam cepisse (*Ρήγιον ἐλάον*).

2) Cf. Thuc. VI, 22.

3) E recentioribus praeter alios cf. Kortüm, I. I. pag. 524 sqq; Niebuhr,

At priusquam Rhegio solveret classis, expeditionis instituendae ratio ducibus describenda erat. Res molestissima in tanta ingeniorum diversitate! Consilio convocato, praetores singuli sententiam dixerunt. Nicias ut duces mandata strictè exsequerentur flagitavit. Censuit „ut cum omnibus copiis ad Selinuntem navigarent, et, si Segestani toti exercitui impensas suppeditarent, pro pecuniae copia consilium caperetur; sin minus, postularetur ab iis, ut sexaginta navibus, quas pctiissent, cibaria praerberent. Ibi permanerent Athenienses, donec Selinuntios vel vi vel pactione cum Segestanis reconciliassent; tum ceteras Siciliae civitates obirent, et quum Atheniensis civitatis opes ostendissent suumque erga amicos et socios studium demonstrassent, domum redirent, nisi forte exinopinato offerretur aliqua occasio vel Leontinos juvandi vel ceterarum civitatum aliquam sibi adjungendi. Postremo suasit collegis, τῇ πόλει δαπανῶντας τὰ οἰκεῖα μὴ κινδυνεύειν, h. e. ne cum periculo reipublicae civitatis opes expenderent.”

Ab his consiliis multum discrepabant Alcibiadis et Lamachi sententiae; nec mirum. Alterius cupiditas majora spectabat: ostendit, si duces cum tantis copiis missi infecto negotio abirent, quanto id probro esset futurum; neque id immerito 1). Censuit

1. l. pag. 140; Roscher, l. l. pag. 465; Wl. Brunet de Presle, *Recherch. s. l. etabl. d. Grecs en Sicile*, Parisiis, a. 1845, pag. 175 sqq; G. Grote, VII, pag. 246 sqq; Hertzberg, l. l. pag. 179 sqq.

1) Merito Hertzberg, l. l. pag. 184: »Das hiesz, den Krieg geradezu aufgeben: das hiesz, alle Kräfte des Staates und der Verbündeten aufbieten um einer leeren Demonstration willen. Ein solcher Ausgang der groszen Unternehmung hätte Athen vor ganz Griechenland lächerlich gemacht.“

igitur civitates a Syracusanorum societate avocandas esse, deinde Syracusas et Selinuntem aggrediendas, nisi controversiae prius per pactionem essent compositae. Alter suasit, ut recta ad Syracusas profiscerentur, quum incolae adhuc imparati essent et subito periculo perterriti. Postremum hoc consilium quin praesenti rerum statui maxime consentaneum fuisset, dubitari vix potest ¹⁾. Dissidium autem inter duces ortum statim rerum agendarum impetum obtudit. Tandem Alcibiadis sententia praevaleuit, quandoquidem Lamachus, homo bellicosus, ad illius potius quam ad Niciae partes se traduci passus est (Thuc. VI, 47—50; Plut. *Nic.* 14; *Alc.* 20).

Animadvertere hic lubet, quam clare hac ipsa in re cum reliquorum ducum tum Niciae indoles eluceant ²⁾. Hic usque sui similis manet: quamvis tantas quantas voluerat opes secum duxisset, securitatem maxime sectatus belli pericula declinare studet. Cunctationem suam, ne dicam ignaviam, tegit eo, quod populi decreto ³⁾ obsequendum esse diceret. Quasi Segestanorum inopiam non nosset, divitiarum illecebris collegas ad petendam Segestam incitat. Ceterum quanto fuerit Alcibiade in persuadendo inferior, ut nusquam magis, hic apparet. Namque idem paullo post, Alcibiade

1) Idem et recentiores historici sentiunt et comprobavit rerum eventus.

2) Cf. G. M. Thomas, *Studien zu Thukydides* (VI, 42—88) in *Abhandl. d. philol. Classe d. Baier. Acad. d. Wiss.* VIII, abth. II, pag. 292 sqq., qui tamen falso patriae amori tribuit quae tantum ex sollicito Niciae animo profecta sunt.

3) Vid. Thuc. VI, 8.

revocato, auctoritate sua rexit Lamachum, quem praesente illo in sententiam suam adducere frustra conatus est.

Itaque Nicia apud Rhegium relicto, Alcibiades, ut Siciliae urbes sollicitaret, plures in hanc insulam fecit excursiones, e quibus eum modo fructum percepit, ut Naxum et Catanam, etsi iterata demum sollicitatione, ad Atheniensium societatem perduceret (Thuc. VI, 50, 51; Diod. XIII, 4; Plut. *Ale.* 20; Polyae. I, 40, 4). Deinde universus exercitus Catanam traductus est. Quod antequam fieret, ad ipsas etiam Syracusas duces cum sexaginta navibus profecti sunt, ut loca explorarent et bellum hostibus indicerent. Qua opportunitate navem hostium, in qua erant tabulae quibus omnium urbis incolarum nomina continebantur, ab Atheniensibus captam esse narrat Plutarchus additque, rem istam haud exiguo his terrori fuisse metuentibus quippe, ne jam tunc oraculum de cunctis Syracusanis bello capiendis eventum esset habiturum (*Nic.* 14). Quamvis autem Thucydides VI, 50, referat tantum *ένα τῶν στρατηγῶν* (non addito nomine) Rhegii mansisse ut reliquum exercitum custodiret, Niciam tamen expeditioni non interfuisse affirmare ausim: cuius rei argumento mihi sunt cum solita viri segnitie tum ea quae ceteri duces in illo itinere peregerunt 1).

Alcibiades re infecta Camarina Catanam reversus ibi offendit navem Salaminiam, qua ipse cum paucis aliis

1) Cf. Hertzberg, l. l. pag. 187. Ceterum Frontinus, III, 2, 6 ad civitatem Agrigentiunorum perperam transfert quae ad Catanam pertinent.

qui sacrilegii rei essent domum revocatus est. Ita princeps concitor et dux belli Siciliam relinquere est coactus 1). Non tamen credere possum Plutarcho, quum de populo Atheniensi dicit: *ἠθύμουν ἀπιόντος αὐτοῦ, καὶ πολλὴν τριβὴν προσεδόκων καὶ μῆκος ἀργὸν ἐν τῷ Νικίᾳ τὸν πόλεμον ἔξειν, καθάπερ μύωπος ἀφηρημένου τῶν πράξεων* (*Alc.* 21). Quidni enim, si ita fuisset, alium Alcibiadis loco crearunt ducem, sed Nicias prudentia confisi novas etiam copias paullo post ei miserunt? Jam imperium divisum est Niciam inter et Lamachum, quorum hic erat sane vir probus et fortis, qui in proeliis vitae suae non parceret, sed idem tam pauper et exilis, ut imperator etiam in tabulas referret exiguam pecuniae summam pro vestibus et calceis expensam. Quam ob causam neque honor ei erat apud milites neque auctoritas. Igitur Nicias, *λόγῳ μὲν ἀποδειχθεὶς δεύτερος ἡγεμῶν, δυνάμει δὲ μόνος ὢν, τὸ πᾶν ἤδη κράτος ἔσχευ* (*Plut. Nic.* 14, 15). Neque est cur id miremur. Nam divitiis aequae ac belli gloria exercitui acceptus erat et confidebant fore ut, qui adhuc invictus fuisset belli dux, in praesenti quoque re fortuna uteretur secunda. At eventus expectationem frustratus est. Nicias, ut testatur Plutarchus in vita, 14, *οὐκ ἐπαύσατο καθήμενος ἢ περιπλέων ἢ βουλευόμενος, πρὶν ἐγγηράσαι μὲν αὐτῷ τὴν ἀκμὴν τῆς ἐλπίδος, ἐκρουῆναι δὲ τῶν πολεμίων τὸ θάμβος καὶ τὸν φόβον, ὃν ἢ πρώτη παρέθιζεν αὐτοῖς ὄψις τῶν δυνάμεων.*

1) Cf. Thuc. VI, 53, 61; Diod. XIII, 5; Plut. *Alc.* 20; *Nic.* 14; Nepos, *Alc.* 4; Justin. IV, 4.

Gravis hic fuit Niciae error, quum sic agendo rerum gerendarum occasionem amitteret atque hostibus belli parandi tempus praeberet 1). Sed ipsas res consideremus.

Postquam Alcibiades discessit, Nicias prioris consilii tenax obtinuit, ut classis cum toto exercitu Siciliam circumnavigans Selinuntem et Segestam adiret. In quo itinere duces frustra tentarunt Himeram 2), Hyccara autem, parvum Sicanorum oppidum, ceperunt. Exercitus deinde itinere terrestri per Siculorum agros Catanam rediit, dum naves cum captivis eodem debebantur. Nicias interim Segestam profectus res ibi ordinavit et pecunias antea promissas accepit, quae paullo post, redditis Hyccaraeorum captivis, auctae sunt talentis centum et viginti (Thuc. VI, 62; Diod. XIII, 6; Plut. *Nic.* 15) 3).

Ita Nicias per tres menses quos jam in Sicilia degerat nihil magni neque concepit animo neque perfecit, immo Hyblam Geleatidem, exiguam hostium urbem, vi aggressus expugnare non potuit. Quid mirum, si Syracusani, hieme appropinquante, audaciores facti

1) Cf. Thuc. VII, 42. Optime Grotius, VII, pag. 305: «it was the unhappy weakness of this commander to shrink from decisive resolutions of every kind, and at any rate to postpone them until the necessity became imminent;» et paullo inferius, pag. 357: «his mistakes arose from reluctance to act except under the pressure and stimulus of some obvious necessity.»

2) Quae est unica urbs Graeca in septentrionali Siciliae ora. Cf. Thuc. VII, 58 et de Presle, l. l. pag. 178.

3) De Laide meretrice Hyccaris capta vid. Göller ad Philisti *Fragment.* V. Ceterum Athenienses centum modo talenta ex praeda abduxisse tradit Diodorus, quem sequitur de Presle, l. l.

contemnere coeperunt Athenienses, ut qui eo potius consilio venisse viderentur, ut in peregrina terra sedes suas collocarent, quam ut Leontinis ipsorum agros restituerent? Quod quum Nicias comperisset, necesse esse intellexit, ut adoriendi partes ipse susciperet. Ut igitur sine periculo castra prope Syracusas opportuno loco poneret, dolum aliquem excogitavit, de quo non sine aculeo Plutarchus in vita, c. 16, dicit: *τοῦτ' ἄριστα Νικίας ἐστρατήγησε περὶ Συρακίαν* 1). Scilicet Catanensem quendam misit ad Syracusanos, qui juberet eos, si Atheniensium castra militibus vacua eorumque arma capere vellent, certo die cunctis cum copiis Catanam venire. Ibi Syracusanorum amicos decrevisse, ut, quam primum illos appropinquantem viderent, simul portas occuparent et navium stationem incenderent. Magnum esse conjuratorum numerum, qui eorum adventui praestolarentur 2). Hoc dolo Syracusani decepti sunt, neque prius ad defendendam urbem redire potuerunt, quam Athenienses in magno portu appulissent et castra metati essent ad Jovis templum et flumen Anapum, quo loco minimas molestias ipsis

1) De fontibus, quibus Plutarchus in conscribenda Niciae vita usus est, post Heerenum nuper egit Doct. Martin Haug: *die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreib. der Griechen*, Tübingis, 1854, pag. 54 sqq. Ceteros ille scriptores diligenter enumerat eorumque auctoritatem accurate ponderat, at fefellit eundem Pasiphon, qui tamquam dialogorum auctor c. 4 memoratur. De quo vid. Diog. Laërt. II, 61; VI, 73. Cf. Marres, *de Favorino*, Traj. ad Rhen. 1853, pag. 118.

2) Cf. Thuc. VI, 63—66; Diod. XIII, 6; Plut. *Nic.* 16. Alcibiadis hoc commentum fuisse dicunt Polyæn. I, 40, 5 et Frontin. III, 6, 6; sed perperam. Cf. Poppo ad Thuc. et Hertzberg, l. l. pag. 214, not. 63.

struere possent hostium equites 1). Quod facinus tantum terroris Syracusanis injecit, ut statim eos aggredi non ausi sint. Postero vero die acies utrimque instruitur. Cum Athenienses priores proelium inituri essent, Nicias tum singulos populos, ut quemque adibat, tum universos paucis adhortatus est (Thuc. VI, 68). Commonefecit milites de ingenti proelii apparatu: certaminis eventum dubium esse non posse, quum milites strenui et exercitati dimicaturi essent cum confusis catervis populorum, qui quidem satis haberent audaciae, carerent vero belli usu atque prudentia. Imminens discrimen flagitare, ut omnes vires intenderent: *τῆς τε οὖν ὑμετέρας αὐτῶν ἀξίας μνησθέντες ἐπέλθετε τοῖς ἐναντίοις προθύμως καὶ τὴν παροῦσαν ἀνάγκην καὶ ἀπορίαν φοβερωτέραν ἠγησάμενοι τῶν πολεμίων 2).*

Neque frustra locutus est. Proelium committitur; superiores sunt Athenienses, qui tamen quum hostes fugatos longius insequerentur, ab illorum equitatu repressi sunt. Syracusani, ubi copias suas dispersas in Helorina via collegerunt, partem earum tamquam praesidium ad Olympieum custodiendum miserunt, reliqui vero in urbem recesserunt (Thuc. VI, 69, 70). Jovis illud templum quominus Athenienses praeoccu-

1) Omnia quae ad Syracusarum topographiam attinent diligenter collegerunt praeter alios Letronne, *Topographie de Syracuse*, et Göller, *de situ et orig. Syrac.* Ad hos igitur scriptores lectorem ablegamus.

2) Brevis haec adhortatio ad milites multa continet ad probandum id quod diximus, Niciam non nisi necessitate compulsam vel in vitae discrimine versatam, tum vero strenue, iniisse certamen. Egregie ille hac opportunitate locutus est non multis verbis, sed animosis.

parent, moras nectendo impediverat Nicias, *ηγούμενος, εὖν τὰ χρήματα διαρπάσσειν οἱ στρατιῶται, τὸ μὲν κοινὸν οὐκ ὠφεληθήσεσθαι, τὴν δ' αἰτίαν αὐτὸς ἔξειν τῆς ἀσεβήματος* (Plut. *Nic.* 16). Cui narrationi, etsi contra dicentibus 1) Diodoro XIII, 6, et Pausania X, 28, 3, fidem habere nullus dubito, quum et Thucydides VI, 71, significant Athenienses de Olympico obsidendo reuera cogitasse, et quae Plutarchus tradit cum religioso Niciae animo plane conveniant.

Crematis cadaveribus Nicias exercitum Catanam et inde, quum Messana, prohibente Alcibiade, incassum tentata esset, Naxum in hiberna duxit. Hanc ob rem a Plutarcho tarditatis et ignaviae accusatur, contra defenditur a Bloomfieldio in adnotatione ad Thuc. VI, 71. Cujus sententiae equidem subscribo. Quamquam enim Nicias primum ad Siciliam appulsus cunctando atque cessando multum nocuit Atheniensium rebus 2),

1) Diodorus scribit Olympicum ab Atheniensibus statim, postquam magnum portum ingressi sunt, captum fuisse. Idem narrat Pausanias, qui addit nulla eos donaria ademisse, custode eorum relicto sacerdote Syracusano. Cf. Thuc. VII, 4, 37. Postremo auctor est Polyaeus, I, 39, 2, Niciam, castra metantibus Atheniensibus circa Olympicum, in planitiem quae pro castris erat tribulos jussisse spargere. Postero die equites Syracusanos turpiter in fugam versos esse, tribulis in equorum pedibus infixis, ita ut multi ex ipsis ne progredi quidem possent et a scutatis solidos calceos indutis interficerentur. Quae omnia veri absimilia puto, propterea quod et Thucydides VI, 70 et Diodorus XIII, 6, Syracusanos equitatu superiores fuisse referunt. Cf. de Presle, l. l. pag. 180; Grote, VII, pag. 302, qui errorem Plutarcho h. l. falso obtrudit. Namque post pugnam aliquot dies omnino intercesserunt, antequam Athenienses Naxum in hiberna abierint.

2) Ut et ipse judicat Thucydides VII, 42: *ἀφικόμενος γὰρ τὸ πρῶτον*

eidem tamen vitio verti non debet, quod in praesenti rerum statu a bello destitit. Namque exercitus, multis frustra tentatis, morando jam debilitatus erat atque hiems magnas difficultates cum aliunde tum e regionis ignorantia impendentes minabatur.

Syracusani per hiemen urbem muniunt et ab omni parte se instruunt, legatos etiam Corinthum et Lacedaemonem mittunt auxilia rogaturos. Interim Athenienses tempus non in otio terunt, sed tum Athenas navem ablegant pecuniam equitesque petunt, tum Carthaginem et in Etruriam legatos mittunt. Cum Siculorum quoque gentibus, quotquot poterant, amicitias iidem contrahunt; postremo omnia ad circumvallandas Syracusas necessaria gnaviter parant (Thuc. VI, 72—75, 88).

Primo vere anni 414 ducentis quinquaginta equitibus cum trecentis talentis Athenis advectis 1), Nicias exercitum iterum ad Syracusas duxit et jam tanta cum celeritate et prudentia, ut clam hostibus classem ad Thapsum constitueret atque cum copiis escenderet. Epipolas statim occupat, Syracusanos trecentis militibus

(ὁ Νίκιας) φοβερός, ὡς οὐκ εὐθὺς προσέκειτο ταῖς Συρακοῖσιν, ὑπερώφθη κτέ. Cf. Grote, l. I. pag. 304 sqq.

1) Thuc. VI, 93, 94. Diodorus XIII, 6, mentionem facit de epistola ad populum Atheniensem missa, qualem sequenti demum anno Niciam scripsisse (Thuc. VII, 11—15) videbimus. Ceterum de pecunia transmissa consentiunt ambo scriptores; item de equitum numero, quem e. 7 demum memorat Diodorus. Paulo post in Atheniensium castra subsidio advenerunt ex Egesta trecenti, ex Siculis, teste Thuc. VI, 98, centum, teste Diod. XIII, 7, ducenti quinquaginta. Quare Thucydides universos equites tradit fuisse sexcentos quinquaginta, Diodorus vero octingentos. Hic igitur aut Philistum aut Timacum aut alium sibi ducem in his legit.

caesis proelio profligat, castellum in Labdalo monte exstruit, ipsum hostium equitatum, qui invictus habebatur, in fugam vertit. Quod vero omnium maxime et Sicilienses perterrefecit et Graecis incredibile factum visum est, idem intra breve tempus Syracusas, urbem Athenis haud angustiores, paene circumvallavit. Quod si reputamus, quantas in aedificando muro tam longo molestias pepererint locorum asperitas, mare vicinum, adjacentes paludes, alia, non possumus quin ducis vigilantiam militumque industriam cum Plutarcho admiremur (*Nic.* 17; cff. *Thuc.* VI, 94—103; *Diod.* XIII, 7; *Justin.* IV, 4).

Athenienses aggredientem hostem saepius propulsarunt victoriasque complures de eo reportarunt: quibus rebus Nicias, quamvis morbo laborans (corpore enim infirmus fuisse videtur, *Plut.* 5), tamen ipse plerumque interfuit. Ubi vero renum dolor (*νεφροῦν*) summum gradum attigerat, intra munitiones paucis cum famulis remansit; quo tempore Lamachus mense Iunio 1) exercitum contra hostes eduxit, qui alterum murum transversum (priore jam capto atque dejecto, teste *Thuc.* VI, 100) aedificaverant, Atheniensibus impedimento futurum. At Lamachus hostes fugatos insequens cecidit 2), cujus morte ad solum Niciam aegrotantem recidit belli imperium. Interea hic, quum hostium pars ipsum, solum in castris relictum, adorire-

1) Cf. G. Grote, VII, pag. 855.

2) Cf. *Thuc.* VI, 101; *Plut. Nic.* 18. *Diodorus* XIII, 8 et *Justinus*, IV, 4 mortem Lamachi contigisse post Gylippi adventum perperam memorant. De homine et moribus ejus supra passim sermo fuit.

tur, in summo vitae discrimine admirabilem ostendit animi praesentiam, qua sola cum a se perniciem avertit tum munitiones et simul exercitus opes ab expugnatione vindicavit. Scilicet machinas omnemque materiem, quae ante murum erat objecta, incendere famulos jussit. Cujus rei eventus talis fuit, qualem providerat. Nam Syracusani tam flammis quam adveniente Atheniensium subsidio perturbati cito in urbem recesserunt et ab eo inde tempore obsidionem impedire destiterunt (Thuc. VI, 102; Plut. *Nic.* 18; Polyæn. I, 39, 3 1). Interea autem dum haec fiebant, Atheniensium classis ex insula Thapso in magnum portum navigarat.

His rebus factum est, ut Nicias Syracusarum brevi expugnandarum magnam spem conciperet. Etenim multae civitates Siculae ejus amicitiam expetebant, undique commeatus et auxilia exercitui affluebant; „ut fit: quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat” (Justin. V, 1). Ipsi etiam Syracusani de salute sua desperantes non solum inter se, sed et cum Nicia de pactione incunda privatim agere coeperunt. In tali rerum statu Nicias de eventu securus urbis obsidionem remissius persequi coepit. Impetum quidem in hostem facere non poterat propter infirmam valetudinem, neque hoc ei culpa dandum quod trans-

1) Fallitur Polyaeus scribens reliquam Atheniensium manum ad Thapsum fuisse. Inde enim, teste Thucydide, classis interim migrabat in magnum portum, cum exercitus Lamacho duce in inferiori Epipelarum parte, locis palustribus, pugnasset.

igendi tempus temere elapsum est 1) (Thuc. VI, 103, in fine), sed, ut recte monet G. Grotius, VII, pag. 355 sqq., in muro exstruendo segniter neque cum optimo locorum delectu egit.

Altero post Lamachi mortem mense quum Syracusis concio haberetur de bello componendo et jam nonnulli prodirent, qui pacem, priusquam urbs muro prorsus inclusa foret, conciliandam existimarent, Gongylus, dux Corinthius, in urbem intravit, qui Gylippum, Laconem, cum Corinthiorum Lacedaemoniorumque auxiliis brevi adventurum esse nuntiat. Qua de re quum populus mox etiam per Gylippi nuntium certior factus esset, cuncti animis erecti pactionibus omissis arma resumunt et Gylippo obviam eunt (Thuc. VII, 2; Plut. *Nic.* 19). Hunc enim virum „in quo instar omnium auxiliorum erat” (Justin. IV, 4) Lacedaemonii primo vere miserant Syracusanis opitulatum, id quod Alcibiades in primis eloquentia sua Spartaefecerat (Thuc. VI, 88—93; Diod. XIII, 7; Plut. *Alc.* 23). Nicias autem, quamvis illum cum quatuor navibus advehi a Thurinis audivisset, *ὑπερεῖδε τὸ πλῆθος τῶν νεῶν, καὶ ληστικώτερον ἔδοξε παρεσκευασμένους πλεῖν, καὶ οὐδεμίαν φυλακὴν πῶ ἐποιεῖτο* (Thuc. VI, 104). Nec tamen, ut Plutarchus, *Nic.* 18, dicit, Gylippum prorsus neglexit, siquidem, simulac Locris cum morari accepit, quatuor naves Rhegium misit (Thuc. VII, 1). At illae scro advenerunt, neque ullam praeterea cautio-

1) Iniquum est iudicium Kortümii, l. l. pag. 528: »Diese Unterhandlungen hatten jedoch, weil Nikias den günstigen Augenblick nicht rasch ergriff, kein Endergebniss.»

nem Nicias adhibuit 1). Gylippus ut Himerae appulit, exercitum ex Himeraeis, Selinuntiiis, Gelois, Siculis congregavit, cum quo in tempore advenit ad Syracusas obsidione liberandas. Qui aditus solus patebat per Epipolas, hunc statim petivit, quum Nicias maximo errore Euryelum non munivisset. Gylippus autem, priusquam conturbatos hostes prope ipsorum murum adoriretur, armis positis, per praeconem iis permisit, ut intra quinque dierum spatium incolumes Siciliam relinquerent. Quam conditionem utinam ne Nicias ejusque milites cum contemptu sprevisset (Thuc. VII, 3; Plut. *Nic.* 19)! Verum hic comprobatum est id, quod Sophocles in *Antig.* vss. 622 sqq. praeclare enuntiat:

τὸ κατὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν

τῶδ' ἔμμεν, ὅτῳ φρένας

θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν'

Athenienses enim, quid unius viri virtus et belli scientia efficere possent, non nisi sero agnoverunt 2).

1) Thuc. VII, 42, etiam significat Gylippum cum exercitu adventantem antevertisse Niciam. Hunc merito reprehendunt Grote, VII, pag. 364 sqq. et Niebühr, l. l. pag. 150, quod neque Laconi copias in insula congreganti impedimenta struxit neque Syracusas appropinquantem adortus est.

2) Vere Niebühr, l. l. pag. 149: »Die Ankunft des Gylippus in Syrakus ist eins von den Ereignissen, wo ein Moment über die Schicksale der ganzen Welt für lange Jahrhunderte entscheidet.» Cf. Plut. *Nic.* 19: κακείρου (τοῦ Γυλιππου) τὸ πᾶν ἔργον γεγονέναι φησὶν οὐ Θουκυδίδης μόνον, ἀλλὰ καὶ Φίλιστος, ἀνὴρ Συρακούσιος, κτέ.

§ 2.

*Nova auxilia Atheniensium cladem prohibere
nequeunt.*

Nicias ut ante Gylippi adventum Syracusarum expugnandarum occasionem cunctando et cessando praetermiserat, ita dehinc timiditate sua et superstitione exercitus ruinam praeparavit. Idem tamen, quotiescumque necessitas urgeret, summum ostendit animi vigorem atque constantiam, ut e sequenti narratione apparebit.

Terrestri proelio Nicias Gylippo se inferiorem statim professus est eo, quod campum reformidans intra munitionem suam se continuit. Dum igitur, acie Syracusanorum ante murum instructa, hic intra castra detinebatur, ille cum copiarum parte clam Atheniensibus castellum Labdalum cepit et praesidium interfecit (Thuc. VII, 3). Mox Syracusani transversum murum ab urbe ad Epipolas aedificare coeperunt, quo hostes impedirentur, ne umquam urbis obsidionem conficere possent. Quod ubi intellexit Nicias, aliam oppugnandi rationem sibi ineundam esse ratus a terrestri bello ad navale se convertit 1), et ita,

1) Thuc. VII, 4: *προσειχέ τε ἤδη μᾶλλον τῷ κατὰ θάλασσαν πολέμῳ ὄρων τὰ ἐκ τῆς γῆς σφίσων, ἐπειδὴ Γύλιππος ἤκειν, ἀνελπιστότερα ὄντα.* Kortüm, l. l. pag. 580, et Niebühr, l. l. pag. 151, perperam scribunt, quasi Nicias non ante muniverit Plemmyrium quam, clade a Gylippo accepta, ab urbis obsidione interclusus esset. Porro de Presle, l. l. pag. 186 in eo errat, quod Gylippum non statim post adventum, sed occupato demum Labdalo incolumitatem Atheniensibus obtulisse tradit.

quamvis nulla graviore clade accepta, firmam victoriae spem intra breve tempus abjecit. Plemmyrium promontorium, ex adverso urbis ad magni portus ostium situm, munire ei placuit, ut et commeatus, qui jam non amplius terra arcessi poterat, mari facilius exercitui importaretur, et classis in magno portu plus nocere Syracusanis posset. Igitur exercitus parte transvecta tria castella eo loco exstrui jussit, in quibus potissimum armamenta navium servarentur. Id tamen copiis haud parvo fuit detrimento. Nautae enim, qui procul a castris aquari, lignari et praedari cogebantur, ab equitibus quos in Olympico Syracusani praesidio reliquerant perpetuo vexabantur, immo necabantur. Interim Nicias, qui jam diligentius vigilare didicerat, ne reliquae Corinthiorum naves hostibus auxilio missae adventarent, viginti triremes speculatorias Locros et Rhegium misit, quae Siciliae aditus custodirent (Thuc. VII, 4). Cum tandem manum conseruissent Athenienses cum Syracusanis, hi primo quidem congressu propter locorum angustias profligati sunt, deinde vero ingentem reportarunt victoriam, et muro, quem instituerant aedificare, sedulo operam dantes eadem nocte per Atheniensium munitiones perruerunt. Quo in opere absolvendo mox adjuti sunt ab auxiliariis Corinthiis, qui, Atheniensium custodia elusa, ipso illo tempore advecti erant (Thuc. VII, 5—7; Diod. XIII, 8; Plut. *Nic.* 19; Justin. IV, 4). Tum vero Syracusanis boni eventus spes magnopere aucta est. Itaque classem exornant, naves in mare deducunt, ut et earum et remigum fiat pe-

riculum. Gylippus interim Siciliae urbes adit, ut auxilia tam pedestria quam navalia petat civitatesque quam plurimas ad Syracusanorum partes traducat. Alii legati Lacedaemonem et Corinthum proficiscuntur nova subsidia imploraturi. Idem faciunt Athenienses, quorum conditio sanequam miserrima subsidiis magnopere indigebat. Nam milites animis erant demissis, disciplina exercitus fracta; classis vires valde extenuatae, quum et naves sub divo inque mari diu moratae putrefierent et nautae absumerentur. Praeterea servi et peregrini et quotquot lucri causa exercitum secuti erant, aut ad hostes transfugiebant aut in urbes Siciliae dilabebantur. Denique metus erat, ne Italiae oppida, quae adhuc Athenienses sustentabant, mox cognito rerum statu hostibus se adjungerent 1).

Nicias autem, quum hostium opes in dies augeri, suarum vero copiarum miseriam accrescere videret, non aliam salutis viam sibi superesse putavit nisi hanc, ut cives quam celerrime de vera exercitus conditione certiores faceret (Thuc. VII, 8). Qua de re immerito eum reprehendit Plutarchus c. 19, *αὐθις εἰς ἐκείνους ἀποτρέπομενον τοὺς πρώτους λογισμοὺς καὶ συμφρονοῦντα τὴν τῶν πραγμάτων μεταβολήν*. Immo collaudamus ducem, qui militibus suis prospiciens mutatam fortunae auram mobili populo denuntiare non reformidaverit. Idem saepius jam nuntios Athenas miserat, qui singulas res cum populo communica-

1) Cf. Grote, VII, pag. 376 et Niebühr, pag. 152.

rent; nunc vero veritus, ne legati vel ob facundiae inopiam vel propter oblivionem vel etiam populi in gratiam vera non renunciassent, epistolam 1) scripsit, e qua suam sententiam Athenienses cognoscerent. Eam Thucydides VII, 11—15, non ipsis quidem verbis, attamen sententiis integram nobis servavit 2). Rerum angustiae ibi vere et aperte exponuntur; imperator tam se ipsum quam milites a rerum male actarum culpa liberare studet, quamquam tacite fassus, adversa multa suae negligentiae ac tarditati esse tribuenda. Postremo alterutrum flagitat, ut Athenienses aut statim exercitum domum revocent aut nova nec prioribus minora mittant auxilia. Sibi autem militiae vacationem rogat, quia renum dolore ita excrucietur, ut imperio gerendo jam non amplius par sit 3).

Hac epistola exeunte mense Novembri coram concione recitata, Athenienses, cetera e nuntiis sciscitati, Niciae quidem praeturam non abrogarunt, sed, donec

1) Primam hanc fuisse epistolam ab ipso Nicia ad populum Atheniensem ex Sicilia perscriptam ex omnibus Thucydidis verbis jure conjicit Thirlwall, *Hist. Gr.* III, pag. 419. Neque opus est credere a Nicia c. 11, ἐπιστολάς δεικνύμενα mandata nuntiis data, quum cogitari liceat de epistolis a militibus privatim missis, quales praesumere possumus ex his verbis c. 8: ὁ δὲ Νικίας ἔπειθε καὶ αὐτὸς ἐς τὰς Ἀθήνας ἀγγέλλον. Quod vero ad Diodorum attinet XIII, 6 referentem, duces superiore quoque anno epistolas ad populum dimisisse, haec nullo modo concinnant cum Thuc. VI, 74 fine. — Cf. Grote, pag. 377, in nota.

2) Cf. Roscher, I. I. pag. 163.

3) Parum diligenter argumentum hujus epistolae referunt Suidas, s. v. et Diod. XIII, 8, qui praeter alia omittit, Niciam petivisse, ut a civibus domum revocaretur. Dion. Halic. *de Thuc. judic.* pag. 921, laudibus eam praedicat. Cf. Poppo ad Thucyd.

novi collegae advenissent 1), duos ei adjunxerunt ex iis qui in Sicilia militabant, Menandrum et Euthydemum. Tum novas copias tam terrestres quam navales comparare decreverunt, quibus duces praefecti sunt Demosthenes et Eurymedon, quorum hunc circa solstitium hibernum ilico cum decem navibus in Siciliam ablegarunt, ut centum et viginti 2) talenta eo perferret ac simul futura auxilia nuntiaret. De deliberationibus, quas Niciae epistola in civium concione suscitavit, Thucydides nihil memorat 3). Quotquot oratores Niciae calumniantes novas opes mittendas deprecari sint, his populus continuo significasse videtur, quantum apud se illius adhuc valeret auctoritas. Qua in re nescio, utrum magis miremur insanam Atheniensium belli persequendi cupiditatem an pertinaciam, qua Niciam, etsi multorum jam malorum auctorem, favore fiduciaque prosequi non desierunt. Merito igitur dolendum censet G. Grotius VII, pag. 398 sq., eo tempore in concione non adfuisse virum, qui dicendi facultate superior multitudinem ad meliora consilia instigaret, quamquam non, ut ille, Cleonem huic muneri aptissimum fuisse cre-

1) Thuc. VII, 16: ἕως ἂν ἕτεροι ξυνάρχοντες αἰρεθέντες ἀφίκονται.

2) Cff. G. Grote, VII, pag. 384, in nota et Poppo ad h. l. Dissentit de Presle, l. l. pag. 187.

3) Ab Aristide compositae sunt duae orationes Niciae epistola Athenas perlata habitae περὶ τοῦ πέμπειν βοήθειαν τοῖς ἐν Σικελίᾳ. Vid. ed. Dindorffii, vol. I, pag. 552–590. Sunt haec declamationes rhetoricae, quibus in diversam partem disputatur. Quotquot facta historica citantur, ea e Thucydide sunt desumpta, alia vero aliunde ignota non occurrunt. Niciam rhetor parum honorifice memorare solet et saepius ob tarditatem ennetationemque vituperat, quamquam ejusdem laudat belli peritiam.

diderim. Ceterum Plutarcho assentiri non possum asseveranti, *φθόνῳ τῶν πρώτον πραττομένων πρὸς εὐτυχίαν τοῦ Νικίου τοσαύτην πολλὰς διατριβὰς ἐμβάλόντων*, Athenienses subsidia necessaria exercitui non praebuisse 1). Etenim tam sub prioris anni finem quam hac opportunitate populus ad opitulandum duci paratissimus fuit, immo ne verbo quidem imperatorem palam vituperavit, etsi res ab illo gestae id non solum sinebant, sed etiam postulare videbantur. Adde, quod sub idem tempus bellum in Graecia erat renovatum, quum Athenienses triginta naves Argivis 2) opitulatum misissent; et jam intelligitur, quanto illi ardore flagraverint Siciliae penitus subigendae. Spartani vero haud minore vi et alacritate tum Syracusanis opem ferre tum Atticam, munita Decelea, praedationibus infestare statuerunt. Itaque per hiemem tam Athenis (Thuc. VII, 17) quam Corinthi, Sparta (c. 18) et Syracusis bellum summo studio paratum est 3).

Primo vere anni 413, dum Spartani Deceleam muniunt et in terra Attica praedantur dumque e diversis Peloponnesi civitatibus subsidia in Siciliam

1) Cf. Plut. *Comp. N. c. Cr.* 5: *καὶ πάντα δι' αὐτὸν οὐκ ἔπεισεν, ἀλλὰ καὶ νόσον ἐν τῆς ἀπειθείαι καὶ φθόνῳ τῶν οἴκοι πολιτῶν.* Contra disputat Grote, pag. 306, in nota, ubi praeter alia recte observat, Thuc. II, 65 verba: *οὐ τὰ πρόσφορα τοῖς οὐχομένοις ἐπιμυγνάσκοντες* non significare, necessaria subsidia ab Atheniensibus non esse transmissa, sed eosdem postea decerevisse quae exercitui non conducerent.

2) Vid. Thuc. VI, 105; VII, 18.

3) Nicias interim, teste Thuc. VII, 8, *κατὰ τὸ στρατόπεδον διὰ φυλακῆς μᾶλλον ἢ δι' ἐξουσίαν κινδύνων ἐπεμελεῖτο.*

proficiscuntur, Athenienses Demosthenem cum ingenti belli apparatu suis auxilio mittunt (c. 20). Interea vero prope Syracusas certamen summa virium contentione renovatur. Syracusani enim, postquam ducum adhortationibus animati naves conscenderunt, Atheniensium classem adoriuntur, dum Gylippus cum terrestribus copiis noctu urbe egressus mane impetum facit in tria Plemmyrii castella. Navali quidem proelio Athenienses victores excedunt, sed Plemmyrium a Gylippo magna cum hostium clade expugnatum Syracusani occupant (Thuc. VII, 21—24; Diod. XIII, 9; Plut. *Nic.* 20¹⁾). Quo factum est, ut Atheniensibus commatu interclusis (Plut. *Nic.* 20) non aliud superesset perfugium nisi navium statio, quae erat in magni portus angulo. Deinde castris certantium ex adverso positis, e longinquo pugnatum est per totius paene mensis spatium, quum alteri alteris quibuslibet artificiis et strategematibus nocere studerent (Thuc. VII, 25). Nicias vero edoctus malis, quae antea e contemptu Gylippi nata erant, melius sibi cavit. Quum Syracusanos post Plemmyrium receptum nova subsidia in interiore insula colligere cognovisset, a civitatibus amicis petivit, ut ne transitum istis concederent. Ergo Siculi illius rogatu octingentos adversariorum milites per insidias trucidarunt, quamquam tamen magna manus Syracusas

1) Perperam Niebühr, l. l. pag. 153, rem ita narrat, quasi Gylippus Plemmyrium ceperit ante Niciae epistolam Athenas missam. Polyaeus I, 42, 2 non Plemmyrium quidem nominat, attamen vocabulo *λόφος* illud promontorium designare videtur. Cf. de Presle, l. l. pag. 187.

intravit 1). Quibus mox tot alia accesserunt auxilia, ut totam fere Siciliam contra Athenienses tunc coaluisse dicat Thucydides c. 33. Nihilominus Nicias cautione sua tantum profecit, ut ne statim de exercitu suo plane actum esset, siquidem Syracusani ob dictam stragem ad adoriendum paullo facti sunt tardiores. Verum ubi Demosthenem jam appropinquare compererunt, ante illius adventum fortunam tentandam esse rati pugnam terra marique instruunt. Quum autem primo congressu aequo Marte dimicatum esset, Nicias postero die trierarchos ad reficiendas naves adiegit, onerarias constituit ante vallum, quod ad classem defendendam in mari defixum erat, easque binum circiter jugerum spatio inter se distantes collocavit, ut, si qua navis in proelio premeretur, esset quo se recipere et unde rursus exire tuto posset. Prudenter sane id excogitatum erat. Attamen Athenienses Aristonis, Corinthii gubernatoris, sollertia et dolo tertio pugnae die superati, septem navibus depressis multisque laceratis, praeterea ingenti militum numero partim capto partim occiso, in fugam versi ad stationem se receperunt 2).

Proelium istud ne committeretur, Niciam, auxilia

1) Vid. Thuc. VII, 32, 33. Diodorus XIII, 8 in eo errat, quod Siculorum istis insidiis subsidia Gylippo destinata jam superiore anno interfecta esse refert. De re conf. Grote VII, pag. 405 sq.

2) Polyaeus Aristonis strategema duobus Corinthiis tribuit, Aristoni V, 13, 2, Telosinico V, 32, 1. Aristonem Syracusanorum naves, mutatis probris, habiliores pugnae (Thuc. VII, 36) reddidisse tradit Diodorus XIII, 10, cui fidem haec in re facile habemus. Cf. Plut. *Nic.* 25 et de Presle, I, I, pag. 188, in nota.

jamjam adventura expectantem, dissuasisse refert Plutarchus in vita c. 20. Ὁ δὲ Νικίας οὐκ ἐβούλετο ναυμαχεῖν, ἀλλὰ πολλὴν ἀβελτερίαν ἔλεγεν εἶναι, στόλου τοσοῦτον προσπλέοντος αὐτοῖς καὶ δυνάμεως ἀκραιφνοῦς, ἣν ἤγε Δημοσθένης σπεύδων, ἀπ' ἐλαττόνων καὶ χορηγουμένων φαύλως διαγωνίσασθαι. Novis vero ejus collegis, Menandro et Euthydemo, civitatis quidem gloriam praetextentibus, at revera ambitioni suae indulgentibus, contraria placuisse idem addit. Quam narrationem per se fide dignam quodammodo confirmat Diodorus XIII, 10, pugnae tacidium, quod universam classem corripuisset, commemorans ¹⁾, neque adversatur ei Thucydidis relatio VII, 36—41 (Cf. Grote, VII, pag. 410).

Sed ipso illo tempore, quo Athenienses in ultimum discrimen devenerant, Syracusani vero secunda fortuna exsultantes novum impetum parabant, Demosthenes et Eurymedon cum supplemento copiarum, priore apparatu vix inferiore, Syracusarum portum mense Julio ²⁾ intrant. Quarum opum aspectus hostibus ingentem terrorem, amicis gaudium intulit animosque depressos erexit. Τὸν δὲ Νικίαν οὐ πολλὴν χρόνον εὐφρανεν ἡ παρουσία τῆς δυνάμεως (Plut. Nic. 21). Quid enim? Mox dissensio orta est inter ambos duces, quorum alter, rerum statu penitus ex-

1) Idem dicit: ἐπειδὴ δὲ τινες τῶν τριηράρχων οὐκέτι δυνάμενοι καριερεῖν τὴν τῶν Συρακοσίων κατασφρόνησιν ἀντανήχθησαν τοῖς πολεμίοις κτῆ.

2) Vid. Kortüm, I. I. pag. 532. Varias causas, quae Demosthenis navigationem retardarunt, vide apud Thuc. VII, 20, 26, 31, 33, 35.

plorato, hostes statim adoriendos censuit, priusquam praesens terror resedisset, alter nihil inconsulto atque audacter moliendum esse duxit. Demosthenes igitur aut re feliciter gesta Syracusas expugnare aut copias abducere neque civitatis vires frustra atterere sibi proposuit (Thuc. VII, 42); in quam sententiam Niciam, cui morandi erant causae, quas infra exponemus, ceterosque collegas ¹⁾ non nisi aegre traduxit (Thuc. VII, 43; Diod. XIII, 11). Niciam diu oblocutum ingratiis collegarum auctoritati paruisse docet Plutarchus, l. l. Quod quare in dubium vocetur ²⁾, mihi non liquet, reputanti post Demosthenis adventum non solum populationibus faciendis moram esse interpositam, sed etiam, quum Niciae collegae nocturnum in Epipolas impetum sustinerent, ipsum intra castra solum esse relictum. Postremo, quo acrius idem hoc inceptum dissuaserit, eo facilius intellectu, qui factum sit ut post infelicem rei eventum in sequenti consultatione illius auctoritas plurimum valuerit.

Duces igitur rebus ordinatis Epipolas adorti sunt. Athenienses impetu facto primum victores, mox vero ab hostibus excepti post magnam cladem confuse in castra redire coacti sunt. Pugnam dilucide describunt Thuc. VII, 43—45; Diod. XIII, 11; Plut. *Nic.* 21. Haec calamitas quin Niciae opportunitatem

¹⁾ His igitur imperium prorogatum fuisse apparet, quamquam ad tempus modo creati fuerant, donec Demosthenes et Eurymedon advenissent. Cf. supra pag. 126.

²⁾ Cf. Groto, VII, pag. 418, in nota. Fallitur Niebühr, pag. 154, tradens Demosthenem, quum primum advenisset, suasisse repentinum e Sicilia discessum.

praebuerit Demostheni temeritatem exprobrandi, non est quod dubitemus.

Quum autem Syracusani jam de Atheniensium muris funditus delendis cogitarent, horum duces ob afflictam fortunam viresque exhaustas, quum etiam milites morbo pressi mansione gravarentur, de eo quod agendum esset deliberationem instituerunt. Demosthenes primum quidem pro priore consilio censuit, „ut abirent Sicilia, dum res, quamvis afflictac, nondum tamen perditae forent: neque in bello male auspicate amplius perseverandum esse: domi graviora et forsitan infeliciora manere bella, in quae servare hos urbis apparatus oporteret.” (Justin. IV, 5; cf. Thuc. VII, 46, 47). Nicias vero iterum adversatus contrariam defendit sententiam (Thuc. VII, 48; Diod. XIII, 12, 32; Plut. *Nic.* 22). Primum sapienter suasit, ut ne palam de receptu deliberantes infirmitatem suam agnoscerent, qui rumor si ad hostes emanasset, fore ut multo difficilius, quando vellent, clam discedere possent. Praeterea e privatis nuntiis se audivisse dictitabat, hostes pecuniarum inopia laborantes brevi exhaustum iri: quam ob causam oportere Athenienses mari adhuc superiores in obsidione perseverare. Hic autem Grotius 1), quem severius interdum quam aequius de Nicia judicare jam passim animadvertimus, non solum illud in eo reprehendit, quod paucis istis de misera Syracusanorum conditione nuntiis fidem adjunxerit, sed etiam quod Gylippum

1) Vol. VII, pag. 428 sqq.

novas copias parantem spreverit. Atqui Niciam de hostium conditione vere compertum habuisse cum Thucydides VII, 49, affirmat, tum Polyaei I, 43, 1, narratio de servorum in urbe tumultu, quem Hermocrates sedaverit, comprobare videtur 1). Porro verisimile est, Gylippum auxiliorum, quae paullo ante per Siculorum insidias interemta fuerant, memorem Siciliae urbes clam et occulto adiisse, ideoque Niciam impendentis periculi prorsus fuisse ignarum. Idem vero etiam aliam in insula manendi rationem attulit ab ipso Demosthene deinde comprobata. Scilicet, legum observantissimus, negavit sine populi decreto discedendum esse. Metuebat civium suorum iudicium, non quod rei male actae conscius se sentiret, quippe qui jam ante Demosthenis adventum hujusque cladem militiae vacationem sibi rogasset, sed quia sycophantarum criminationes reformidabat 2). Quamobrem se certe, qui nosset Atheniensium ingenia, nolle dicebat ob turpe crimen et inique a civibus potius morte mulctari quam ab hostibus, si opus esset, hoc ipsum capite in periculum adducto pati 3). Qua in re etsi Niciam non cum Plutarcho culpandum putamus, quod ille cum toto exer-

1) Cf. de Presle, l. l., pag. 190, in nota.

2) Vid. supra pag. 125. Quivis igitur intelligit, quid sentiamus de his Justinus IV, 5, verbis: »Nicias, seu pudore male actae rei, seu metu destitutae spei civium, seu impellente fato, manere contendit.»

3) Graece: ἡ ὑπὸ τῶν πολεμίων, εἰ δεῖ, ἀνδραγαθίας τοῦτο παθεῖν ἰδία. Illud ἰδία interpp. male habuit; frustra, opinor: ἰδία opponitur verbo δημοσία, itaque intelligitur mors in proelio, quae opponitur supplicio quo a populo Atheniensi, h. e. δημοσία, afficeretur. Cf. Grote VII, pag. 425, in nota, et interpp. ad h. l.

citu hostium manibus perire se maluerit quam domi damnatum supplicium subire (tale quid a Niciae humano ingenio abhorret), id tamen vituperandum, quod non viderit cum suo periculo totius exercitus periculum esse conjunctum, et quod suum decus pluris fecerit quam patriae salutem. Neque enim fugere eum poterat civitatem hoc tempore illo subsidio quam maxime indigere. Et qui Siciliam ne devictam quidem ab Atheniensibus in potestate retineri posse providerat ¹⁾, nonne eum oportuit in rebus tam incertis abeundi occasionem arripere? Verum cunctabundus hominis animus id vetuit; perstitit in proposito Nicias atque collegarum voluntati pertinaciter se opponens ne palustribus quidem e locis castra moveri voluit. Hoc modo Athenienses segniores facti sunt et in eodem loco permanserunt (Thuc. VII, 49). Ceterum tenendum est, Niciam non sua tantum auctoritate id fecisse, sed suffragantibus, ut videtur, Euthydemo et Menandro ejus sententiam in consilio vicisse (Cf. Grote, VII, pag. 427).

Mense paene elapso, quum Gylippus magno cum copiarum subsidio e Sicilia reversus etiam e Peloponneso auxilia accepisset, tum vero Atheniensium duces, qui militum suorum numerum morbo valde imminutum viderent, vehementer poenituit quod non ante discessissent. Cum igitur Nicias quoque, etsi aegre, receptu acquiesceret, tacite vasa collegerunt militibusque praeceperunt, ut ad omnia parati tubae signum

1) Vid. supra pag. 94.

expectarent. At quum jam in eo essent ut portu solverent, ecce, ipsa illa nocte d. XXVII m. Augusti luna deficit 1). Quae res tum plerisque Atheniensibus tum Niciae ominosa est visa tantumque iniecit formidinis, ut per ter novem 2) dies subsistendum esse decreverint. Id enim vates, quos Nicias statim consuluit, jusserunt. Teste vero Plutarcho, qui hoc loco suam rerum naturalium scientiam ostentat, peritus vates in exercitu non aderat, quum Stilbides, qui Niciam comitari solitus nimiam ei superstitionem adimebat, paullo ante mortuus esset: quo factum esse, ut omen, e Philochori sententia fugientibus faustum, vates male interpretati sint.

Hac in re dignum est quod attendamus Polybii IX, 19, testimonium. Merito quidem ille Niciam ob *δεισιδαιμονίαν* vituperat, de ipso vero facto parum diligenter refert. Primum perperam tradit, Athenienses jam in ipso receptu fuisse, quum luna deficeret; tum moram religionis causa facitam omittit; postremo, quasi ultima pugna navalis non intercessisset, lunae defectui tribuit quod duces cum universo exercitu Syracusanis, de profectioe praemonitis, dedere

1) Vidd. Thuc. VII, 50; Diod. XIII, 12; Plut. *Nic.* 23; Plin. *Nat. Hist.* II, 9. De tempore defectus cons. Heis, *die Finsternisse während d. Pelop. Krieges*, pag. 11, qui docet id factum esse die XXVII m. Aug. post horam VIII vespertinam.

2) Plerumque in tali *δεισιδαιμονία* tres dies infausti existimabantur, teste Anticlidae apud Plut. *Nic.* 23. Quae causa fuisse videtur, cur Diodorus pro XXVII diebus memoret *τὰς εἰθρομένους τρεῖς ἡμέρας* tamquam otium a vatibus commendatum. Cf. Grote, pag. 433 et de Presle, pag. 191, in notis. Ceterum de Anticlidis Exegeticis etiam apud Athen. XI, p. 473 mentio fit. Vid. Voss. *de histor. graec.* ed. Westermann, p. 389 sq.

se coacti sunt; quamquam Hermocratis strategemate id effectum esse mox videbimus. Talem negligentiam in magno historico est sane quod miremur.

Verum Athenienses, auctore in primis Nicia 1), ceteris curis se relaxantes sacrificiis placare deos et futura e vatibus exquirere non desierunt, donec Syracusani, rerum statu e transfugis comperto, terra marique aciem instruxerunt. Quamvis autem Athenienses primum defugerent certamen, mox tamen, Heraclide quodam proelii ansam praebente (Plut. *Nic.* 24 2)), naves congressae sunt ac non nisi pedestrium copiarum ope servatae; nihilominus earum duodeviginti captae sunt et Eurymedon in pugna occubuit. (Thuc. VII, 51—54; Diod. XIII, 13). Ita Syracusani etiam mari superiores, quum Atheniensium interitum tam sibi gloriae quam toti Graeciae utilitati fore opinarentur, magnum portum claudere coeperunt, ut hostium castra expugnarent eosque ad internecionem usque vexarent. *Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἐν παντὶ δὴ ἀδυναμίας ἦσαν* (Thuc. VII, 55); alii de salute sua desperantes, ut jam terrestri itinere abirent flagitarunt, alii ultimum belli fortunam mari tentandam statuerunt. Duces vero, quum taxiarchos quoque in consilium adhibuissent, munitiones superiores praesidiis vacuefacere atque navibus, quotquot superessent, ar-

1) Plutarchus, *Comp. N. c. Cr.* 5, de eo dicit: *μηδενὸς τῶν ἀπὸ μαντικῆς καταργονῶν*. Cf. supra pag. 19 sq.

2) Ea de re dabitur Grote, VII, 446, in nota: injuria, ut opinor, ob id ipsum quod mox addit, Plutarchum scilicet et Diodorum in ultimis pugnis describendis verosimiliter e deperdito Philisti opere hausisse.

matis de salute certare decreverunt (Thuc. VII, 56, 59, 60; Diod. XIII, 14). Rebus magna ex parte paratis, Nicias, quum milites animis consternatos videret, cunctos convocatos adhortatus est oratione 1), quam nobis servavit Thuc. VII, 61—64. De qua ita judicat Bloomfieldius: „Dictio solito dilucidior est et vacua ab asperitate. Est hortatio, cui admixtae sunt consolationes.” Et revera Nicias praesenti rerum statusi diversisque audientium voluntatibus verba sua tam egregie accommodavit, ut et prudentem belli ducem et militem in ipso vitae discrimine confidentem se praestiterit. Idem vero, quum jam nautae naves centum et decem numero conscendissent et Syracusanorum quoque acies instructa esset, nondum satis a se actum putans, singulos quoque trierarchos nomine compellavit et ad strenue decertandum hortatus est. Animadvertere licet in tota hac re ipsum principis ducis agere partes. Postremo peditatum ad mare deduxit; Demosthenes vero, Menander et Euthydemus ad portus fauces navigarunt. Secuta est pugna navalis ultima et acerrima, in qua describenda concertant Thucydides VII, 70—71 et Diodorus XIII, 15—17. (Cf. Plut. *Nic.* 25). Victoria, diu dubia, tandem ad Syracusanos se inclinavit. Athenienses tantam passi sunt cladem 2), ut confuse castra petierint, ne mortuos quidem sepeliendi tempus sibi sumentes. Ita exercitus ad extremas an-

1) Et haec et alteram c. 69 orationem laudat Dion. Hal. p. 921. Complures in his sententias Pericleas Nicias defendit. Comparatione dignissima sunt ejusdem verba apud Diod. XIII, 15, init.

2) Causas hujus cladis recenset Grote, VII, pag. 451 sqq.

gustias est redactus. Qua ratione autem et quo eventu deinceps salutem sibi suisque Nicias quaesiverit, mox videbimus.

§ 3.

Niciae tristis vitae exitus.

In universorum luctu et desperatione protinus noctu evadere cupientium Demosthenes, qui ne ob praesentia quidem mala animo prorsus desponderat, consilium suum cum Nicia communicat, ut, reliquis navibus iterum instructis, sub auroram, si possint, erumpant. Dicebat plures adhuc naves idoneas sibi superesse quam hostibus, quos repentino impetu etiam nunc facile devictum iri putabat. Niciam primum quidem obsistentem, quippe qui cum ceteris collegis iter terrestre ad civitates socias commendaret, mox tamen assentientem sibi habuit, ut Thucydides VII, 72, refert: idque, etsi repugnante Diodoro XIII, 18, valde probabile puto propterea, quod alioquin audax ille conatus procul dubio nautis non fuisset propositus. Hi vero ob adversum proclium animis fracti et victoria diffisi naves conscendere recusarunt 1).

Universi igitur per mediam terram se recipere jam in animo habebant. At Hermocrates, Syracusanorum dux, Athenienses quid meditarentur suspicatus eorumque fugam suis funestam fieri posse ratus, magistratus

1) Cf. G. Grote, VII, pag. 454.

de impendente periculo admonuit. Verum cives recenti pugna defessi victoriam in urbe celebrabant et nimis exsultabant gaudio, quam ut ipso Herculis die festo armis resumptis hostium fugam anteverterent. Quare Hermocrates, qui Niciae indolem bene nosset, dolum excogitavit, quo fugientium celeritatem retardaret. (Thuc. VII, 73; Diod. XIII, 18; Plut. *Nic.* 26; Polyæn. I, 43; Frontin. II, 9, 7). Nonnullos e sodalibus suis cum equitibus, quum jam advesperasceret, ad Atheniensium castra mittit. Illi, quasi nuntii venirent ab iis, qui Niciam de rebus urbanis certiolem facere consueverant, monuerunt, ne Athenienses noctu proficiscerentur, quod Syracusani insidiis collocatis vias occupassent. Quibus Nicias stulte fidem habuit, quasi amicum in re afflicta non deseruissent internuntii isti, homines majore pro parte Leontini, qui suum tantum lucrum bello quaerebant (Cf. Thuc. VII, 86). Ille statim segnitici suae indulisit atque timiditate occaecatus imminetia pericula morando non minutum sed auctum iri non vidit. Discessum Athenienses distulerunt et, quam possent commodissime, vasa collegerunt, assumptis quae suppetent rebus ad victum ac vestitum necessariis. Interim Syracusani quaslibet molestias in viis struxerunt (Thuc. VII, 74).

Tertio demum post pugnam navalem die miser exercitus, quadraginta hominum millibus constans, castra reliquit, ut post universae classis amissionem terrestri itinere lacessentibus undique hostibus in tutum evaderet. Miserias et moerorem, quae receptum proxime

praecesserunt, luculentissime describit Thucydides c. 75, addita etiam oratione, qua Nicias abcuntium animos postremum relevare studuerit 1). *Πολλῶν δὲ δεινῶν ἐν τῷ στρατοπέδῳ φαινομένων, οὐδὲν ἦν οἰκτιρότερον αὐτοῦ τοῦ Νικίου θεῆμα* (Plut. *Nic.* 26). Namque ille, quamvis morbo laborans, ad necessaria redactus erat cibaria et ad victum parciolem, quam qui corpori ejus aegrotanti sufficeret. Etsi invalidus, peragebat tamen ac perferebat ea quae multi validiores vix tolerabant. Omnibus exemplum erat constantiae et patientiae. Quodsi ceterorum querelis et lacrymis interdum conturbaretur, movebat eum non sua calamitas sed patriae damnum et exercitus dedecus de culmine gloriae in imam miseriam dejecti. Milites ducis adspectu commoti et memores dictorum, quibus olim expeditionem dissuaserat, immerito eum affligi existimabant et deorum numine diffidebant, reputantes virum diis carum, ut qui multos et magnos sumtus in coelestium honorem fecisset 2), non meliore fortuna uti quam infimum quemque et pessimum de gregariorum turba.

Atheniensium copiae Catanam versus tetenderunt in duo agmina quadrata divisae, quorum priori Nicias praefuit, posteriori Demosthenes. Ambo voce et vultu ceteris animos addendo periculis fortem opposuerunt animum. Sicubi disjunctos vel confuse ince-

1) Vid. Thuc. VII, 77, ubi in Scholiis haec adscripta leguntur: *θανασ-
τῶς ἐστοχέσατο καὶ τοῦ μισθοῦ καὶ τῶν περιεχόντων πραγμάτων ἐν
τῇ παραλείψει, οὐδὲ προουμισσάμενος.*

2) Vide supra pag. 31 sq.

dentes cernebant, hos in ordinem egebant. Copias autem suas, quamvis ab hostibus undique insequentibus jaculis petitas, tamen per quinque dierum iter invictas servarunt (Thuc. VII, 78, 79). At sexto die, ubi aliud iter ingressi sunt, Nicias quidem agmen ordinibus servatis multum viae praecepit 1), Demosthenes vero milites suos tardius et laxius ingredientes mox a Syracusanis prorsus inclusos vidit. Hic igitur, acie instructa, per totum diem cum hostibus strenue dimicavit; postremo vero, incolumitate cunctis promissa, milites suos aerumnis et vulneribus defatigatos arma tradere jussit (Thuc. c. 80—82) 2). Ita sex milia captivorum Syracusas abducta sunt, in quibus ipse Demosthenes, qui frustra gladio mortem sibi consciscere tentaverat, *ταχὺ τῶν πολεμίων περισχόντων καὶ συλλαβόντων αὐτόν* (Plut. Nic. 27) 3).

Nicias eodem die fluvium Erineum attigit, quo trajecto in edito quodam loco exercitum collocavit. Quod ubi postero die Syracusani cognoverunt, nuntiarunt ei Demosthenis milites sese dededisse et Niciam idem facere jusserunt. Hic vero, rei veritate per equitem ex-

1) Cujus rei causam hanc tradit Thucydides VII, 81: *Θάσσόν τε γὰρ ὁ Νicias ἤγε, νομίζων ὅτ' τὸ ὑπομένειν ἐν τῷ τοιοῦτῳ ἐκόντας εἶναι καὶ μάχεσθαι σωτηρίαν, ἀλλὰ τὸ ὡς τάχιστα ὑποχωρεῖν τοσαῦτα μαχομένους, ὅσα ἀναγκάζονται.* Hoc loco *τε* respondet sequentis § verbis ὁ δέ. Non opus est, ut eum Vaticano codice legamus *σωτηρίον*.

2) Pugna illa, teste Plutarcho, commissa est *περὶ τὴν Πολυζήλειον ἀδελήν*, quae secundum Thuc. c. 80 narrationem sita fuit in via ad fluvium Caecyparim.

3) Cf. Philistus apud Pausan. I, 19, 9; Justin. IV, 5: »Demosthenes, amisso exercitu, a captivitate gladio et voluntaria morte se vindicat.» Quibus tamen verbis fidem habere non possum.

plorata, per caduceatorem respondit, se paratum esse ad spondendum pro Atheniensibus, ut, datis obsidibus, belli sumtus Syracusanis redderentur, ea conditione ut se ipsum cum exercitu dimitterent. Conditiones ab hostibus non sunt acceptae et statim immanis caedes instaurata est. Nihilominus Athenienses per noctem, cujus silentio ad evadendum uti frustra conati erant, durarunt et altero die, quamvis hostium telis et jaculis ingentem stragem passi, ad flumen Asinarum pervenerunt. Ibi proelium exitiale commissum 1); alii lassitudine confecti mortem sibi quaesiverunt, alii sitim explere cupientes in flumine perierunt, alios dimicantes occiderunt Syracusani, donec tandem Nicias de universis jam actum esse sentiens Gylippo se tradidit 2) suorum incolumitatem orans: „Misereat vos, inquit, Gylippe, victores, non mei, ut qui ex infortunio meo nomen et famam consecuturus sim, sed ceterorum Atheniensium. Reputate ancipitem esse belli fortunam, et Athenienses quondam favente illa clementer ac moderate erga vos usos esse.” His precibus permotus Gylippus, quum major pugnantium pars jam cecidisset, alii fuga salutem quaerent, ceteros, quotquot adhuc superstites erant, vita donatos cum spoliis in triumphum Syracusas abduxit (Thuc. VII, 83—85; Plut. *Nic.* 27).

Ibi postero die cives et socii in concionem convocati sunt, ut de captivorum sorte decernerent. Ut fit,

1) De pugnae die agunt Poppo ad Thuc. VII, 84 et Grote, pag. 478, nota 2.

2) Thuc. VII, 85: πιστεύουσιν μᾶλλον αὐτῷ ἢ τοῖς Συρακοσίοις. Cf. supra pag. 26.

deliberantium diversae fuerunt sententiae. Diocles 1), demagogus celeberrimus, Syracusanis suasit, ut duces atroci supplicio necarent, reliquos vero cunctos in praesens in lapicidinas mitterent, postea Atheniensium auxilios praeter Sicilienses et Italienses divenderent. Falli mihi videtur Plutarchus, qui c. 28 Euryelem, demagogum, asperrimae istius sententiae auctorem dicit. Negligentius hic Philistum et Thucydidem exscripsit, quandoquidem rem sic tradit, quasi servi sociique statim venierint: quod tamen apud neutrum illorum legitur. Deinde vero Hermocrates progressus dicere coepit, victoria humaniter uti majus esse quam reportare. Quibus verbis statim obstrepuit populus, cui talis oratio minime ferenda videbatur.

Post hunc clementiam item commendasse Nicolaum senem quendam, duobus filiis bello orbatum, refert Diodorus, qui orationem huic tribuit luculentam et humanitatis ac mansuetudinis plenam (XIII, 20—27), quam tamen unde hauserit non apparet. Immo ne habitam quidem eam credimus, quippe quae eo consilio a scriptore composita esse videatur, ut ei responderet sequens (c. 28—32) Gylippi oratio cunctorum supplicium severe et crudeliter exigentis. Quae oratio, etsi multis dotibus insignis, tamen ob verborum et sententiarum ubertatem loquentis personae minime accommodata est. Praeterea vero haec innuunt, Gylippo impulsore Niciam et Demosthenem interemtos esse: qua in re Diodorus abit a Thucydide VII, 86 et

1) Diod. XIII, 19, ed. Wesseling. Dioclis mors narratur c. 33.

Plutarcho in *Nic.* 28, quorum uterque Lacedaemonem petiisse asseverant, ut Atheniensium duces Lacedaemonem abducere sibi liceret; μέγα δ' ἤγεῖτο πρὸς δόξαν, εἰ ζῶντας ἀπαγάγοι τοὺς ἀντιστρατήγους. Jam vero hac in parte quis hos scriptores non illi anteponat? At non impetravit Gylippus quod rogarat. Obstitcrunt enim partim Syracusanorum nonnulli veriti ne Nicias, quocum colloquia habuissent, superstes et de his interrogatus felicem rerum suarum statum perturbaret, partim alii, in quibus praecipue Corinthii, qui divitias viri metuentes ejus mortem a sociis flagitarunt 1). Itaque Nicias, aetate sexagenarius, anni 413 medio mense Septembri Syracusis in carcere necatus est. De cujus obitu satis severe judicat Plutarchus in *Comp. N. c. Cr.* 5: ὁ δὲ Νικίας αἰσχρᾶς καὶ ἀκλεοῦς ἐλπίδι σωτηρίας ὑποπεσὼν τοῖς πολεμίοις, αἰσχρίονα ἑαυτῷ τὸν θάνατον ἐποίησεν. Hunc secuti plures scriptores censent Niciam, quum armatus hosti se traderet, tantopere adamasse vitam, ut a Lacedaemoniorum clementia ignominiosam incolumitatem exspectare quam dimicando mortem oppetere maluerit 2). Mihi tamen illud non sui servandi causa, sed quo melius militum suorum commodis prospicere posset, fecisse videtur.

1) Vid. supra, pag. 28.

2) Cf. Justin. IV, 5: »Nicias autem, ne Demosthenis quidem exemplo, ut sibi consulere, admonitus, cladem suorum auxit dedecore captivitatis.» Ipse quidem Cicero *de Off.* I, 23 haec dicit: »Cum tempus necessitasque postulat, decertandam manu est et mors servituti turpitudiniue anteponenda;» at exercitus commoda Niciam superstitem requirebant.

Ceterum fidem non habemus Timaeo, qui Philisto et Thucydidi (cf. Suidas s. v.) oblocutus (Plut. *Nic.* 28) refert, Hermocratem, deliberante populo, captivis ducibus per unum e custodibus occasionem praebuisse manus sibi inferendi. Id enim si factum esset, a Thucydide in narrando non fuisset praetermissum. Miror equidem Groteum 1) hoc recepisse, quasi non repugnaret Thucydidis relationi. Postremo amborum, Demosthenis et Niciae, cadavera ad urbis portas projecta sunt, ut multitudini affluentis spectaculo essent. Ad Plutarchi usque aetatem Syracusis in templo asservabatur clypeus, quem Niciae fuisse aiebant, ex auri et purpurae mixtura contextus: qui num revera illius fuerit dubitari licet; fortasse fabula excogitata est et hominum sermonibus circumlata ad Niciae infamiam notandam. Athenienses, qui hunc belli ducem vivum summo semper honore prosecuti fuerant, mortuum dehonestarunt eo, quod, teste Pausania I, 29, 9, columnae prope Athenas in caesorum memoriam positae nomen ejus non inscripserunt, ut voluntarii captivi ac viri bello imparis.

In tanta hostium et civium improbatione notatu dignum est Thucydidis elogium, quod legitur VII, 86: *ὁ μὲν (Νικίας) ἐτεθνήκει, ἥκιστα δὲ ἄξιός ὢν τῶν γε ἐπ' ἐμοῦ Ἑλλήνων εἰς τοῦτο δυστυχίας ἀφικέσθαι διὰ τὴν πᾶσαν εἰς ἀρετὴν νενομισμένην ἐπιτήδευσιν.* In quo iudicio conscribendo historicum non omnino vacuum fuisse ira et studio opinatur Groteus, VII, pag.

1) Vid. VII, pag. 478.

480—486. Primum hoc in illo reprehendit, quod, ubi infelicis expeditionis Siciliensis historiam ad finem perduxit, ne verbo quidem Demosthenem honorifice memoret, sed Niciae sortem dolens hunc solum praedicet. Atqui reputandum, hunc illi auctoritate praevaluisse et primarium fuisse belli ducem, non solum quia aetate provector atque apud exercitum gratiosior erat, sed quod idem per omne belli spatium in Sicilia degerat. Maxime autem Thucydidis misericordiam movisse censi debet tristis exitus ejus, qui summo studio expeditionem dissuasisset, ad quam suscipiendam a civibus quasi coactus in perniciem ruisset. Ceterum ipsum illud, quod de Nicia praedicat Thucydides, justo amplius haberi nequit nec veritatis fines excedit. Non enim ab erroribus in Sicilia commissis, quos antea saepius notaverat, belli ducem absolvit, sed elogium illud spectat maxime ad vitam ejus privatam. Quam quidem intuens et civium existimationem, quam Nicias semper expertus est, reputans quis iniquam viri sortem non misereatur atque propter studium omnium illarum artium, quae virtutis nomine censentur, meliore eum fortuna dignum fuisse infitiri velit?

T H E S E S.



I.

Orationes forenses, quas Niciae tribuit Thucydides, loquentis ingenio plane conveniunt.

II.

Orationes, quas ab eodem pro exercitu habitas facit, idem proposuisse videtur tamquam exemplaria eloquentiae militaris.

III.

Frustra G. Grote Cleonem demagogum omni pacis crimine et probro liberare conatus est.

IV.

Immerito Hertzberg, *Alkibiades*, p. 204, in dubium vocat fidem Diodori XIII, 2 narrantis Atheniensium duces, antequam in Siciliam abirent, de poena Syracusanis infligenda cum senatu deliberasse.

V.

Errant qui putant Atheniensium Prytanibus per leges licuisse ἀναψηφίζειν i. e. rogationem iterare de re, de qua jam ψήφισμα factum esset.

VI.

Quae ῥήθρα memoratur a Plutarcho in vita *Lycurgi* c. XIII, μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις, ea non est Lycurgi habenda.

VII.

Quaestores parricidii de rebus capitalibus iudicium tulisse evinci nequit.

VIII.

In tribunis militum consulari potestate creandis statim ab initio numerum senarium legitime constitutum fuisse probabile est.

IX.

Sallustii auctoritas in nominandis Ciceronis insidiatoribus (*Bell. Cat. XXVIII*) non elevatur discrepantibus Ciceronis Plutarchi et Appiani testimoniis.

X.

Andocidis quae fertur oratio περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης a Dionysio Halicarnassensi nonnullisque recentioribus criticis immerito pro supposita habetur.

XI.

Non idoneae mihi videntur esse rationes, quibus *Dialogus de Oratoribus* Tacito abjudicetur.

XII.

In Jovis cultu tam apud Graecos quam apud Romanos pristini monotheismi vestigia agnoscuntur.

XIII.

Quae vulgo Pythagorae tribuitur distinctio inter philosophiam ἐξωτερικὴν et ἑσωτερικὴν, serioris aetatis commentum est.

XIV.

Bonorum communio, quae inter Pythagoreos viguerit, ficticia est.

XV.

Recte G. Grote, *Hist. of Greece*, VIII, pag. 538: "It is unjust to try either the Sophists or the statesmen of Athens by the standard of Plato."

XVI.

Socratis methodum optime his verbis expressit Xenophon, *Mem.* IV, 6, 15: Ὅποτε δὲ αὐτός, τι τῷ λόγῳ διεξίλοι, διὰ τῶν μάλιστα ὁμολογουμένων ἐπορεύετο, νομίζων ταύτην ἀσφάλειαν εἶναι λόγου.

XVII.

Ideas quas vocant innatas nullas in mente adesse contendo.

XVIII.

Demonstratio cosmologica Kantii argumentis non refellitur.

XIX.

Non assentior viro doct. D. Burger (*Bijdragen t. d. kennis en den bloei der Nederl. Gymn.* 1856, pag. 36 sqq.) Novi Testamenti lectionem in Gymnasiis denuo commendandam esse judicanti.

XX.

Aeschyli *Prom. Vinct.* vs. 875 legendum conjicio:
 ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς γέννημ' ἀφῶν
 τέξεις κελαινὸν Ἐπαφρον κτέ.

XXI.

In Sophoclis *Antigona* qui leguntur versus 892—899,
 οὐ γὰρ ποτ' οὐτ' ἂν εἰ τέκνων κτέ poeta indignos esse censeo.

XXII.

Demosthenis *adv. Phil.* I, 31: εἰ τὸν τόπον τῆς χώρας, πρὸς ἣν πολεμεῖτε, ἐνθουμηθεῖητε, pro τόπον lege τρόπον.

XXIII.

In Horatii *Sat.* I, 4, vs. 11: (Lucilius)

Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles
mutata sede ponendum post vs. 8, hoc ordine:
durus componere versus,

Cum flueret lutulentus, etc.

XXIV.

Taciti *dial. de Orat.* XI: »Subridens Maternus, Parantem, inquit, non minus diu accusare oratores" pro
non minus diu lege non minore studio.

ERRATA.

Pag.	lin.	3 Westius	lego Westermannus
»	18	» 32 τῆς	» τῆς
»	20	» 5 Thuc. VIII,	» Thuc. VII,
»	27	» 15 Westius	» Westermannus
»	29	» 1 VII, 68	» VII, 86
»	43	» 27 neque-neque	» tum-tum
»	48	» 6 διαχίλια	» διαχίλια
»	61	» 27 aliospoëta	» alios poëta
»	90	» 7 Leontimos	» Leontinos
»	98	» 31 onfert	» confert
»	116	» 4 τῆς	» τοῦ
»	125	» 26 concinnant	» concinunt
»	131	» 23 des-cribunt	» de-scribunt

Ubivis pro Grotius lege Grotens. Praeterea si quid in apicibus et
literis peccaverit typheta, oro te, lector,

ξύγγραθε καθαρίζειν γὰρ οὐκ ἐπίσταται.